

BARGEO (Pietro Angeli)

SYRIAS (10004 vers)

Le texte proposé ici a pour base celui donné par le site 'Poeti d'Italia in lingua latina', version numérisée de l'édition de 1591 de cette épopée chrétienne, version numérisée remarquable par le nombre de lacunes, de fautes de lecture grossières, de vers inscandables qu'elle contient.

N'ayant pu nous procurer un fac-similé de l'édition de 1591, nous ne pouvons qu'émettre des hypothèses :

- cette édition elle-même était de médiocre qualité ; toutefois, à cette date, l'auteur était encore vivant et il est peu probable qu'il n'y ait pas jeté un oeil ;
- l'impression est de facture médiocre, et l'O.C.R. utilisé sans contrôle humain (comme toujours sur ces grands sites plus soucieux de quantité que de qualité) a très souvent erré.

Quoi qu'il en soit, nous avons dû faire quelques centaines de corrections et de restitutions. Certaines paraissent s'imposer, d'autres sont de simples hypothèses, quelques unes de purs expédients pour rétablir la métrique du vers.

Il va de soi que nous serions très heureux de revenir sur ce travail, au cas où un lecteur nous indiquerait où trouver un fac-similé de ce texte.

PETRI ANGELII BARGAEI SYRIAS HOC EST EXPEDITIO ILLA CELEBERRIMA
CHRISTIANORUM PRINCIPUM QUA HIEROSOLYMA DUCTU GOFFREDI BULIONIS
LOTHARINGIAE DUCIS A TURCARUM TIRANNIDE LIBERATA EST

LIBER PRIMUS

S_1 v.1 Hesperia acies, magnoque accepta Tonanti
 2 arma cano et variis exhausta pericula in oris,
 3 jactatosque diu populos morboque, fameque.
 4 Quorum incredibili Solymis virtute reclusis,
 5 Christicolae extremi potuere a finibus orbis
 6 visere deposita dubiae formidine vitae
 7 Bethlema et Isacidis promissa parentibus arva.
 8 Tu vero, cujus claro de lumine lumen
 9 exoritur nobis, tacitosque exsuscitatur ignes,

10 unde altam afflati mentem caelestibus auris
11 deferimus populos et habentes nubila terras,
12 verus amor patris, natiq̄ue aeterna voluptas
13 spiritus, hinc atque hinc pariter qui profluis, et qui
14 cuncta movens te tota hominum in praecordia fundis,
15 mortaliq̄ue doces ore immortalia fari,
16 sancte fave, praestoq̄ue adsis ingentibus ausis.
17 Ac me, delectis dum sumpta heroibus arma
18 dicere et Ausonias conor vulgare per oras,
19 da, reges memorantem, altas evolvere causas
20 bellorum et tanti narrare exordia motus :
21 da, quoscumq̄ue animis diuturna silentia nostris
22 exemere viros, revocare ad lumina vitae :
23 nec tenebris, atraq̄ue ullos caligine tectos
24 ire sinas, quos una sui fidissima merces
25 sustulit ad caelum virtus, vastosq̄ue coegit
26 trajicere Ionii fluctus, perq̄ue invia Thracum
27 unanimes gravibus caput objectare periclis :
28 cum miseris Asiae gentes, pressamq̄ue nefando
29 eripere jugo dextris victricibus urbem
30 hanc, ubi sancta suis olim vestigia plantis
31 impressit, vitaeq̄ue dedit praecepta futurae
32 illa Dei soboles, certae dux ille salutis
33 mundi opifex, nostroq̄ue uno pro crimine passus
34 ludibria et poenas, letumq̄ue informe sepulchro
35 excivit sese et manifesta in luce refulgens
36 victor ad aetherei sedes remeavit Olympi.
37 Presserat insolitis nigri regnator Averni
38 suppliciiis omnes, latum quicumq̄ue per orbem
39 terrarum Christi cultum, nomenq̄ue professi
40 suspicerent veros verae pietatis honores.
41 Et nusquam deerant ficto de crimine poenae
42 in miseros, nusquam Divum bene cedere sueta
43 religio nostras properabat linquere terras,
44 Europam, ditemq̄ue Asiam, Libyamq̄ue patentem :
45 praecipue populos, quoscumq̄ue Aegyptus et una
46 laeta Palaestinis regio pascebat in arvis.
47 Illic dedecorum maculae et genus omne proborum,
48 contemptusq̄ue acres, ignominiosaque passim
49 dicta sequi, nec verberibus, nec caedibus ullis
50 parcere sed sanctae saevire in corpora gentis.
51 Quin etiam templa ipsa manu subversa nefanda,
52 effusiq̄ue aris calices atq̄ue hostia foede
53 proculcata solo, raptusq̄ue in vincla sacerdos,
54 dum se caelicolum Regi purissimus offert,
55 attollitq̄ue oculos et sanctum numen adorat.
56 Quingentae aestates, quingentae ex ordine brumae
57 transierant, nullusq̄ue aderat finisque, modusve
58 Christicolum adversis jam tot per secula rebus :
59 cum pater omnipotens Solymorum ad moenia vertit
60 ultores oculos, tacitoq̄ue haec pectore fatur.
61 En iterum infando populos Aegyptia tellus
62 servitio, duraq̄ue premit jam compede nostros ?
63 Impiaq̄ue assuetis deturbat honoribus aras ?
64 Non ita namq̄ue etsi debent mihi plurima poenas
65 ingentes seris nocitura nepotibus olim

66 flagitia et certae subito sine vindice fraudes :
67 extinxisse tamen populi scelerata rebellis
68 regna juvet : solioque alto pepulisse tyrannos,
69 qui modo longinquos sese profitentur Erembos
70 liquisse et Scythiae campos fugisse malignos.
71 Haec genitor, celeremque ad se vocat inde ministrum
72 aligerum e coetu, sanctam qui protinus urbem,
73 quique Palaestinos populos, Syriamque tuetur.
74 Vade age, fide vigil, quo jam pulcherrima rerum
75 urbs Judaea suas altis in collibus arces
76 ostentat mole ingenti et testudine templis
77 marmorea augustum Nati complexa sepulchrum.
78 Huc praestantem animis et magnum ingentibus ausis,
79 et miro impulsum verae pietatis amore
80 advenisse virum Celtarum a finibus usque
81 scimus et incoeptis, animus quae destinat, aptum.
82 Illi vita insons, illi suadela, leposque,
83 et dictis vis acris inest : nec sanguine cretus
84 obscuro, solum montis secessit in antrum,
85 cum primum obduxit teneras lanugine malas,
86 verum ut liberior cultum pietatis obiret,
87 et mihi sinceros animi libaret honores.
88 Is nunc et macie confectus et obsita pannis
89 membra ferens, supplex oculos ad sidera tollit :
90 "Utque velim finem miseris imponere rebus,
91 ac tot suppliciis Solymos prohibere fideles,
92 per mortem testatus et incunabula nostri,
93 perque resurgentis factum memorabile Nati,
94 cum fletu, precibusque petit ; luat impius ergo,
95 seu fit Arabs, seu Persa fugax, mihi sanguine poenas
96 tantorum scelerum. Tu, quo succedere possint
97 ocius et mentem hanc nostram rata jussa sequantur,
98 i celer atque illum tacitis hortatibus imple.
99 Dic abeat quamprimum Italas delatus ad oras,
100 nostraque Pontifici referat mandata : piorum
101 concilium cogat, regesque inducat amicos,
102 Gallosque, Ausoniosque duces, fortesque Britannos,
103 suscipere unanimes, tantumque capessere bellum.
104 Ipse ego nusquam abero." Dictis his Aliger altae
105 militiae, ventis et fulminis ocior aura,
106 illicit immensum rapidis secat aethera pennis.
107 Jamque inter nubes terras delatus ad imas
108 aspicit innumeris viridantia litora palmis,
109 Sirbonisque lacum fluitante bitumine et orae
110 oppida Samariae geminas despectat Iamnes.
111 Mox et humi propior, qua se Galilaea propinqua
112 finibus insertat Syriae, supereminet ales.
113 Cervus atque undas amnis veneratur amoenas
114 Jordanis, sterilemque agrum, duraque salebra
115 horrentem tractum, riguamque perennibus arcem
116 fontibus, ingressus peregrinum heroa salutat.
117 "O animos olim regum impulsure feroces
118 in bellum et flammis pro libertate meorum,
119 ipse preces, fletusque tuos Pater audiit aequis
120 auribus et populo praesens succuret egeno.
121 Tu modo, cum primum stellas aurora fugarit,

122 surge celer, rectaque Jopes ad litora gressus
123 tende : ubi jamdudum ventos exspectat euntes
124 navis in Italiam merces vectura Sabaeas.
125 Nec prius in Belgas et patria regna recurres,
126 quam positam Arvernīs Elaver prope flumen in oris
127 urbem adeas, sanctumque Patrem, qui praesidet orbi,
128 hortantem populos ad bellum videris, hujus
129 laturus tanti mercedem et praemia facti."
130 Haec ait atque illum procumbere in ora volentem
131 suppliciter, fletusque humiles, lacrimasque cientem
132 deseruit, tenuesque abiit resolutus in auras.
133 At pius insolita laetatus imagine rerum
134 surgit et aeterni veneratus numinis aram,
135 has secum tacito fundit de pectore voces.
136 "Summe Pater, cujus sedes stellantia caeli
137 claustra premit, sic nulla usquam gens incolat orbem,
138 quae laudes, nomenque tuum non tollat ad astra,
139 et meritos confessa uni tibi reddat honores :
140 cujus et in medio solus non pectore regnes
141 et fieri videas quicquid vis ipse, jubesque
142 non secus ac purae cum jam mortalia mentes
143 exuerunt, labemque omnem exemere, luemque.
144 Da, Pater omnipotens, summo mandata referre
145 Pontifici, regumque animos accendere bello :
146 adde et opes, adde et vires, quibus impius hostis
147 pareat, aut multo vitam cum sanguine fundat."
148 Sic memorans, humiles properat Simeonis ad aedes :
149 Isacidae Simeonis, erat qui maximus unus
150 Christicolum princeps patrum, custosque sacrorum
151 jura ministrabat populo, patriasque benignis
152 hospitiiis assuetus opes effundere, cunctos
153 ipse domi Solymam peregre accipiebat euntes.
154 Ergo illum festinus adit, laetumque salutat
155 laetus et ingentes volvens sub pectore curas.
156 "Scis Simeon, scis ipse, inquit, quibus ante querelis
157 res fratrum afflictas et tantae flevimus urbis
158 excidia et magni polluta altaria templi :
159 sume animos ; tetigere Deum tua vota, precesque.
160 Ipse mihi, dum genua gravi titubantia somno
161 forte labant, medioque tholi sub fornice victa
162 procumbunt, clarus manifesta in luce refulsit
163 nuntius aeterni referens mandata Parentis
164 atque haec palmiferae cedentem ab litore Idumes
165 Ausonio patri narrare incendia jussit,
166 cogat ut innumeros, armetque in proelia reges."
167 Tum Simeon : "Eadem ista mihi modo visa loquentis
168 effigies, somnus lassos dum serpit in artus,
169 aligeri effigies lacrimantem et multa timentem
170 affari et fletum placidis compescere dictis.
171 Ergo age rumpe moras et te, quo prospera rerum
172 tantarum series vocat atque aeterna voluntas,
173 siste volens : Deus ipse bonis bonus annuit orsis."
174 Haec illi inter se vario sermone serebant :
175 ac templum ingressi puro ter flumine frontem
176 aspersere suam : sanctis ter fulsit ab aris
177 flamma repens, templumque insueta luce replevit.

178 At petrus (namque ipse Petri pius advena noto
179 nomine dictus erat) precibus, sacrisque peractis,
180 caelestisque cibo mentem, potuque refectus,
181 alta Palaestinae Phariis regnata tyrannis
182 moenia deseruit, portumque, Jopemque petivit.
183 Nec mora mutati spatia in contraria venti
184 aspirant flantes Eoi ab limine Solis
185 in puppim facilis salsas volat illa per undas.
186 Atque Aegyptiaci late maris aequora sulcat.
187 Jamque procul videt et Cretam scelerata secutam
188 arma Jovis : summa qui pulso e sede parente
189 mortali, est ausus Divum sibi poscere honores.
190 Exin Sammonii rupes, atque ardua montis
191 saxa legit : dextraque Cason, celsamque relinquit
192 Carpathon et salebris duram Pholegandron acutis,
193 mox Diam, Melonque illic gens Attica quondam
194 exstinxit miseros tenera cum prole parentes.
195 Nec non et rigidas Cranaes inamabilis oras
196 praeterit : illicitos ubi primum infamis adulter
197 Tyndaridi dedit amplexus, castumque cubile
198 polluit injustae pariturum incendia Trojae.
199 Inde autem Maleae scopulos, undasque sequaces
200 exsuperans, placido cursu Messenia radit
201 litora et Aenussas Euro impellente relinquit.
202 Illam etiam scopulosa Ithace mirata volantem est :
203 miratae Ionios celerem percurrere fluctus,
204 quae modo devictos testantur Echinades hostes
205 Thracas et undisono submersas aequore classes
206 Hesperiae scelerum poenas solvisse merentes.
207 Et vos Leucatae nimbose cacumina montis,
208 fulminibusque altam percussa Ceraunia frontem,
209 protinus ingressam Adriacas vidistis in undas
210 Peucetios petere et tuto se condere portu.
211 Qualis ubi aerii summo de vertice saxi
212 illicet aurarum strepitu commota columba
213 avolat et magni praeceps secatur aetheris oras,
214 et tandem patria laetam se turre recondit,
215 sic illa, indomitum postquam tranaverat aequor,
216 litus adit victrix, claraeque allabatur urbi :
217 quam quondam (ceu prisca ferunt monimenta priorum)
218 Daedalides, omnemque agrum, qua Daunia tellus
219 culta patet proprio ducens e nomine nomen
220 fecit Iapygiam : seri sed deinde nepotes
221 dixerunt Barium : primi unde insignia regni
222 sceptraque, purpureosque habitus, sacrumque tiaram,
223 sumere tum reges Siculique, Italique solebant.
224 Ergo ipsi optata tandem potiuntur arena,
225 votaue solliciti persolvunt debita nautae
226 Nicoleo, cui templum altis sublime columnis,
227 marmoreumque, ingensque calet fumantibus aris :
228 et circum Arabiis permiscet odoribus auras.
229 In medio sacram testudo intercipit urnam
230 aurea, quae Divi cineres atque ossa sepulti
231 complexa, ambrosium summo de marmore fundit
232 (mira quidem, sed certa fides) injussa liquorem.
233 Huc pius ingrediens heros sanctissima primum,

234 aurea pyxis ubi niveum complectitur orbem
 235 caelestis crusti, mysteria pronus adorat.
 236 Mox humilis, supplexque altam contendit ad aram :
 237 ac pressa genibus terra sic voce precatur.
 238 "Dive, Myram Lyciae cui sex ex urbibus unam
 239 innumeris illustrem atavis, populoque frequentem
 240 insueta patres olim dant sorte regendam :
 241 qui puer et nutricis egens lactantis ab ipsis
 242 uberibus, quoties lux quarta et sexta refulsit,
 243 avertens faciem seras jejunos in horas
 244 sensisti gelidae venisse crepuscula noctis :
 245 mox et opes patrias miseris largitus egenis
 246 sancta Palaestinae visis loca et undique navem
 247 jactatam ventis, agitatum et fluctibus atris
 248 ipse Deo supplex optato in litore sistis
 249 incolumen, saevique expertus vincla tyranni,
 250 post tristes casus, post dura incommoda tandem
 251 discedis, curasque hominum, terrasque relinquens
 252 in caelum sublimis abis, unde arduus orbem
 253 despicias et tantos tecum miserare labores :
 254 sis bonus, o nostrisque fave, sanctissime, coeptis."
 255 Dixerat et caelo supplex immota tenebat
 256 lumina, largifluo spargens sibi flumine pectus :
 257 sustuleratque ambas, quasi raptus ad aethera, palmas :
 258 cum senior, cui prima sacri custodia templi,
 259 curaque perpetuis adolere altaria flammis
 260 supplicis aspectu subito commotus et ore.
 261 "Dic nobis, dic hospes, ait, nomenque, genusque,
 262 quisquis es : et mensas hodie dignare paratas.
 263 Namque diem sollemnem agimus, quo maximus heros
 264 hinc abiit clara caeli in statione locatus."
 265 Sic memorans, dextra apprensum in sacraria ducit,
 266 atque auro e solido solidas ostendit acerra,
 267 et pateras, calicesque graves, purosque lebetes
 268 vasa ministeriis, cultuque accommoda templi :
 269 ille autem admirans placido est sic ore loquutus.
 270 "Non equidem sine mente Dei, sine numinis aura
 271 adveni has primum terras et Iapygis urbem,
 272 quam victor populorum heros Patareius unam
 273 protegit et fidus praeses, custosque sacrorum
 274 ipse suis patrociniis tutatur egentem.
 275 Jam Solymae manifesta salus, jam Persidis atra
 276 caede Palaestinis tepefient flumina campis.
 277 Desierat fari senior, cum talia Alethes
 278 miratus magno scitandi ardescit amore,
 279 quae sit tanta salus, quae caede tepentia crescant
 280 flumina, quos ducat victrix Europa triumphos.
 281 Subjicit haec igitur cupienti habitator eremi.
 282 Non ullus (mihi crede) furor, non ulla futuri
 283 vana superstitio percellit imagine mentem :
 284 verum animo tanti praesens, fiducia Divi
 285 addita et Ausoniae felix adventus ad oras,
 286 quas ego concepi spes imo in pectore cunctas
 287 integrat et coepto suadet dare vela labori.
 288 Namque Palaestinas nuper novus advena terras
 289 dum peragro et Solymae vestigia cuncta videre

290 pressa Deo juvat atque ipsi advigilare Sepulchro,
 291 et modo Carmeli montes, modo visere Idumem
 292 palmiferam et sacros Jordane ex amne liquores
 293 sumere, tum si qua est regio testisque, memorque
 294 mortis et exactae per tot miracula vitae,
 295 aut lacus, aut rupes, aditum perrumpere et ad se
 296 ire jubet : vidi eversas, proh dedecus, aras,
 297 templaque cornipedum praesepia facta ferorum.
 298 Sed me dicentem jam deserat auricomus Sol,
 299 si foedas ignominias, si dura piorum
 300 exitia et saevos casus memorare libebit.
 301 Exarsere ignes animo : subit ira ruentem
 302 ulcisci pietatem armis : scelera inde nefanda
 303 deturbare procul, nostrisque afferre salutem,
 304 immanis quos ipsa premunt regna impia gentis.
 305 Ergo ego primores Solymae juvenesque, senesque
 306 alloquor et miseris quae sit sententia posco.
 307 Ast ollis (neque enim certae de dedere morti)
 308 jam dubitent, tempus siquando id postulet et res)
 309 omnibus idem animus populos e sede superbos
 310 dejicere imperii, saevosque expellere reges,
 311 aut ultro cunctos uni dare collasecuri.
 312 Haec eadem Syrii, quos flumine magnus Orontes
 313 alluit, Antiochi veteri cognomine dicti.
 314 Haec Cilices, Lyciique volunt : haec Olbia, cujus
 315 Ascanius placido perfundit moenia fluctu :
 316 nec qui Byzanti populo dominatur et unus
 317 obtinet imperium, qua se fera Thracia pandit,
 318 quaeque adeo Pelopis tellus circumdatur undis
 319 auxilium jam ferre neget sed viribus impar
 320 non audet lapsis Asiae succurrere rebus,
 321 exspectatque tacens dum se Germania bellax
 322 excitet, aut Italum virtus miserata ruinas
 323 imperii, labesque graves, aut Gallia fortes,
 324 Gallia magnanimum mater generosa virorum,
 325 cogat in arma duces, belloque ea regna lacesat.
 326 Ac mihi versanti tantam sub pectore molem,
 327 nuntius in somnis alto delapsus Olympo
 328 constitit ante oculos et coepta capessere jussit.
 329 Quare ego nunc primum vestras appulsus ad oras
 330 Ausoniae ingredior reges aditurus et ipsum
 331 Christicolum patrem, septem qui collibus urbis
 332 praesidet atque hominum mentes, sensuque potentum
 333 impellens stimulante Deo regit unus, agitque."
 334 Desierat, cum longaevis sic infit Alethes.
 335 "Magna quidem, magna, o hospes, neque temporis hujus
 336 coepta paras et ni me animi sententia fallit,
 337 nulla ope mortali, nullo superanda labore.
 338 Namque inter sese divisa potentia regum
 339 infregit solidas bellorum ad munia vires
 340 jamdudum, imperiique Italos spoliavit habenis.
 341 Si tamen haec audere potes, si fixa voluntas
 342 ista tibi, precibusque tuis Deus applicat aures,
 343 accipe quae primum studio suscepta, fideque
 344 perficias neque enim, tanti quem gloria facti
 345 certa manet, nobis haec intentata relinquant,

346 exitus omen erit nam res opis indiga et uno
347 vindice digna Deo coeptis bene gesta favebit,
348 et spem non dubiam dubiis modo mentibus addet.
349 Hanc partem Italiae, belloque et pace potentem,
350 imperio postquam patrio cessere Quirites,
351 Thracibus et Tiberis dominatum amisit avitum,
352 externi tenere duces nos ante superbo
353 servitio oppressi jussisque, minisque Getarum
354 parvum nos saepe Arabum sumus impia passi
355 imperia et victi poenas expendimus Afris.
356 Postremo dum compositis jam rebus avaras
357 Graiorumque manus et mores ferre protervos
358 cogimur, atque animo placidas assuescimus artes,
359 extremis orbis gentes in finibus ortae,
360 inde ubi vicinam spectant Electrides Arcton
361 insulae Oceano in magno, venere Chadeni,
362 Bastarnaeque truces et fortia pectora Cimbri,
363 quos patriae, veterumque aetas ignara locorum,
364 nec tamen ignota terrarum a parte profectos
365 nostra haec Normannos invento nomine dixit.
366 Quippe ea gens Septem gelido subjecta trioni
367 liquerat et campos et inhospita saxa Chalusi :
368 ac post eversas ipsis cum moenibus urbes
369 Gallorum et miseris passim viduata colonis
370 rura, ferox nostris regionibus intulit arma,
371 nacta duces magna virtute et fortibus ausis
372 Tancredum praestantem, opibusque et sanguine clarum,
373 et forma insignem et numerosa prole beatum.
374 Namque illi fines, alienaque regna colenti
375 bisenos natos fecunda creaverat uxor,
376 edoctosque sitim in silvis perferre, famemque
377 saepe graves caeli tolerare coegerat aestus,
378 saepe etiam pedibus rigidas calcare pruinas,
379 immanes dum luce feras, dum nocte sequuntur.
380 Ceu sus innumeros limo durata nepotes
381 quae post terga trahit, valles ingressa profundas
382 decussae ingentes glandis populatur acervos
383 et procul inde ursos fugat et genus acre luporum :
384 solaque fecunda saltus et pascua silvae
385 insidet atque epulis pinguescere pergit opimis.
386 Ipse etiam genitor natis comitantibus, omnes
387 expulit obsessis Insubrum e finibus hostes
388 et vitreo quaecumque vado Ticinus et ingens
389 Eridanus, quaecumque vagus secat Ollius arva,
390 Abduaque et tenuis gelido cum flumine Rhenus,
391 in leges jurare suas devicta coegit :
392 imposuitque jugum populis a litoris ora
393 Adriaci ad fines Samnitum et ab amne Phiterno,
394 qua fluit in longum regio ditissima, adusque
395 Hydrunti et mollis cultissima rura Tarenti.
396 Nec satis haec Siculos Afris extrema luentes
397 supplicia, hinc urbes, illinc populantibus agros
398 defendit, peditesque omnes delevit, equosque.
399 Post etiam caede ingenti congressus iniquas
400 prostravit turmas et funere mersit acerbo
401 innumeros at tu dictis Argive maneres,

402 pactaque victrici deferres praemia genti.
 403 Mox veteris custos mori, legumque severus
 404 gessisti vindex regnum Roberte paternum :
 405 acri animo, claraque ingens virtute, tuaque
 406 ante alios omnes pietate insignis et armis.
 407 Brundusium tibi se terra oppugnata, marique
 408 dedidit urbs, Graiis longe discedere jussis
 409 et tua Trinacrii venere in jura, fidemque.
 410 Ac nisi mors tantis obsisteret invida coeptis,
 411 victrices superata manus jam Thracia, jamque
 412 barbara servitium quae gens minitatur acerbum
 413 Europae (sic spes fuerat) sensisset et arma.
 414 Quorum adeo veriti virtutem animosus Acarnan,
 415 et latrocinii, raptoque exercita pubes
 416 Aetola, imperium dextrae subiere potentis
 417 ultro omnes, ultro invicti sunt regia passi
 418 jussa ducis verum postquam discordia fratrum
 419 impulit inter se miseros concurrere cives,
 420 descivere omnes et nos liquere rebelles.
 421 Nam soboles natu major virtute secundus,
 422 haud aequo patiens animo, quod frater ademptas
 423 ferret opes, regnique unus poteretur habenis,
 424 Italiam repetens victor dimisit Achivos.
 425 Ac nunc germani saevo premit oppida bello :
 426 depopulatur agros : altaeque in moenia Melpes
 427 arietat, excidiumque urbi, populisque minatur.
 428 Hos motus, ni forte parum Deus obstet amicus,
 429 comprimere atque iras primum sedare necesse est :
 430 quando hic militiae veteris grave robur, opesque
 431 ingentes, nec non classes, navalia, portus,
 432 unde ad palmiferam facilis trajectus Idumem."
 433 Vix haec fatus erat aevi maturus Alethes,
 434 cum sese ad templum victor Boemundus agebat,
 435 vota soluturus Divo, quae fecerat ante,
 436 Nicoleo, ut caperet sine caede et sanguine Melphem.
 437 Ergo aderat circum ducibus stipatus amicis,
 438 et corde et vultu quaerens a numine pacem,
 439 suppositum genibus pressit pulvinar et ambas
 440 ad caelum palmas humili cum voce tetendit.
 441 "O, qui coniectos Byzanti in vincla tribunos,
 442 damnatosque neci per fraudem et crimen iniquum,
 443 servasti incolumes, meritas tibi maxime grates
 444 en agimus, laetique tuis advolvimur aris.
 445 Ac tu, sancte pater, si, quod te poscimus, aequum est,
 446 si justum gerimus bellum cum fratre, piumque,
 447 da positis odiis certo nos foedere jungi
 448 concordem, sumptisque ambos discedere ab armis."
 449 Haec ille ut secum tacito sic ore precatus,
 450 surgit et ex ebano nigranti, alboque elephanto,
 451 quam mira Assyrius fabricaverat arte Phraates,
 452 et cocco et denso famulus constraverat auro,
 453 augusta sese sublimem in sede locavit.
 454 Mox alii circum proceres capita ardua nudi
 455 stabant, incoeptisque sacris intenta tenebant
 456 ora, sacerdoti linguisque, animisque faventes :
 457 heroemque omnes Lyciae, Pataraeque potentem

458 orabant humiles, ducis ut sine labe juventam,
459 et vitam il longos facilis produceret annos :
460 Germanosque ira inter se, belloque diremptos
461 concordēs stabili fratres sociaret amore.
462 Mox autem precibusque piis, sacrisque peractis,
463 occurrit venienti ultro longaevus Alethes.
464 "Inclyte rex Robertiades, tibi gratulor (inquit)
465 victori : atque istam, peperit quam vivida virtus,
466 laetitiam rebus nusquam variantibus oro
467 perpetuam, ut dulci placitam cum pace quietem
468 nactus, in externos vires atque arma tyrannos
469 convertas, Graiumque oras et litora Thracum
470 imperio adjicias et barbara regna lacesas.
471 Quod virtus tua promittit : quod gloria gentis
472 postulat, unde genus juvenis fortissime ducis.
473 Quodque adeo fuit invicti cura una parentis
474 conficere et regni longe producere fines
475 Ausonii : populisque feris imponere leges :
476 juraque nobilium reparare amissa Quiritum.
477 Nam memini, cum Tarpeia de rupe rebelles
478 dejecit cives victor, caesisque manipulis
479 Henricum, faulrix cui tum Germania fasces
480 detulerat, procul urbe fugam celerare coegit,
481 eximere oppressum longa obsidione, metuque
482 Pontificem, sanctaeque in scepra reponere sedis :
483 cujus ab auspiciis bello multo ante gerendo
484 impositus, munusque obiens insignis honoris,
485 bis Venetos, bis secum ausos concurrere Graios
486 contuderat, geminasque imo sub gurgite classes
487 merserat atque acie victor dimiserat Orco
488 millia multa virum : jamque affectabat ad oras
489 Byzanti festinus iter, jam Thracia vastis
490 concipiens animis invadere regna parabat.
491 Ipse ego, quem secum casus deduxit in omnes
492 sacra ministrantem festis peragenda diebus,
493 mirabar sublimem animum, mirabar et una
494 ad decus intentum, stimulosque cupidinis acres
495 egregiae et magnos curarum in pectore fluctus
496 volventem, quorum impulsu jam concitus ibat
497 supra omnes, regnisque Asiae, Libyaeque ruinam
498 molitus tacita capiebat gaudia mente."
499 Tum Robertiades lacrimis Boemundus obortis,
500 "Haec, ait, haec nobis, quae nunc, pater optime, narras
501 nota nimis, semperque animo genitoris imago
502 fixa haeret justa in Thraces capere arma monentis,
503 atque Asiae campos bello vastare jubentis ;
504 nec semel ante oculos in somnis constitit ipse,
505 qualis erat, facieque minax, vultuque severus,
506 oppida cum prostravit humi Taulantia et arces,
507 altaque Dyrrachii subvertit moenia victor :
508 aut cum Cassiopes moriens prope litus, acerbae
509 Cassiopes litus, cunctarum infame sepulchrum
510 virtutum, extincto quae tum periire parente,
511 maerentem dictis consolabatur amicis.
512 Nate, tui effigies et spes fidissima patris,
513 nate Italis, nate externis exercite bellis,

514 tantorumque, adeo socius, testisque laborum,
515 quos ego suscepi, quos nunc ego linquere cogor
516 effusos (sic certa Deo, stabilisque voluntas)
517 ipse vides, alacres quam te comitentur euntem
518 ferro accinctae acies, quamque undique circumstant
519 agmina multa virum et nostri studiosa juvenus
520 nominis, obscurae jampridem inimica quietis.
521 Haec tibi pacatis, qui nunc obstare videntur,
522 hostibus, ingentem summis heroibus addet,
523 imponetque sacrum capiti gavisam tiaram :
524 quem modo longinqua Deus in regione paratam
525 servat et impense per mille pericula rerum,
526 perque adeo varios casus, durosque labores
527 quaesitum, si vera olim mihi numine plenus,
528 afflatusque Deo cecinit longaevus Ionas,
529 spectabunt laeti propecta aetate nepotes.
530 Hac pater ingenti natorum accensus amore,
531 ne regni causa Italici discordia fratres
532 divideret, viresque adsumeret invida nostras.
533 Quamquam, o sed noxae, quarum persolvere poenas
534 cogimur, innumerae mentemque, animumque benignum
535 avertere Dei : qui nos amittere passus
536 propterea tot regna armis quaesita, manuque
537 invicti genitoris, avitae et robora gentis.
538 Verum haec, sancte senex, uni cui cura piandi
539 flagitia et summi placandi numinis iram
540 credita, si precibus non dedignabere castis
541 exorare Deum, nostri, ut rerumque misertus
542 extinguat clemens tanta haec incendia regni
543 Ausonii et coepti discordia semina belli :
544 idem etiam fortasse viam monstrabit et altum
545 sternet iter, sceptrum evertens Orientis, opesque."
546 Vix, haec desierat fari, cum magnus Alethes
547 subjicit : " O ingens patris decus, o nova gentis
548 gloria, quae nam in te regum fortissime primum
549 laudarim ? Pietatem animi, roburque juventae ?
550 An belli audaces, an pacis amabilis artes ?
551 Omnia quae pariter saeculis venientibus aetas
552 suspiciens, pariter magnum super aethera tollet
553 et tibi divinos famae instaurabit honores.
554 Non temere, astuteve aliquid fortissimus heros
555 ipse tuus genitor, quod veri effeta senectus
556 acta metu solidas animi languescere vires
557 senserit, extrema est titubans in morte locutus.
558 Namque eadem aetatis sublimina prima ruentis,
559 cum belli arderet studiis, persaepe canebat
560 ista mihi de te puero non Appula tellus,
561 non et Iapygiae, quae Daunia finibus haeret,
562 jam capere hunc possit, cum primum adoleverit et se
563 noverit haud usquam patriae virtutis egentem.
564 Et nunc si veri quicquam mens augurat, ingens
565 tantarum nobis rerum est oblata facultas.
566 Namque hic adveniens Solymarum nuper ad oris,
567 Judaea ex media ciet alta ad praemia reges
568 Ausonios, totamque Asiam promittere praedam
569 non dubitat populorum uno vos ore vocantum

570 in regna et dominos cupientum expellere Turcas."
 571 Haec memorans, ardorem animis injecit, ut ultro
 572 Christicolum cuperet narrantem audire labores.
 573 Nec mirum : namque ipse Deus, qui pectora regum
 574 unus obit, sensumque movens alternat et urget.
 575 Jamdudum mentem divino afflaverat aestu,
 576 insuetoque imas accenderat igne medullas.
 577 "Ergo ait, o utinam summi regnator Olympi
 578 haec inter reges componat foedera et acres
 579 excitet Europae populos, quos conscia virtus
 580 ipsa sui stimulet tam justa in bella, feroxque
 581 sponte sua pubes raptis sese induat armis.
 582 Ipse ego, quem praesens germani injuria versat
 583 immeritum, propriisque palam deturbat ab agris
 584 haeredem et summo secum contendere jure
 585 cogit, ut armatis in mutua vulnera dextris
 586 fraternos Italo foede(ris) sanguine campos,
 587 victas dedo manus victor, regnisque paternis,
 588 si modo quod memoras hospes venerande, sequatur
 589 foedus amicitiae, jam nunc discedere certum est.
 590 Sin autem secus ac volumus, res cesserit et nos
 591 exitus ingenti de spe dejecerit omnes,
 592 tum tu Pontificem Romae exorare memento,
 593 litibus imponat nostris finemque, modumque,
 594 suspiciens uno dignam se iudice causam.
 595 Quoque id commodius, nisi forte indebita posco,
 596 conficias, certos nostra hac ex urbe legemus
 597 quam primum, tecum quos dimittamus amicos,
 598 componi orantes constanti foedere pacem.
 599 Interea (neque enim tantis conatibus instes,
 600 illorumque expers hominum, ignarusque locorum,
 601 quique adeo teneant Asiae vel regna, vel urbes
 602 undique praesidiis et multo milite vinctas)
 603 dic age, nec cupidis notae tibi nomina gentis,
 604 cujus ad haec tenuis famae loca pervenit aura,
 605 auribus invideas, quique arma capessere contra,
 606 qui conferre manus, qui bello audere ferantur."
 607 Haec Robertiades Boemundus at inclytus hospes
 608 ex alto repetens diri primordia regni :
 609 "Expulerat Parthos armis victricibus, inquit,
 610 imperii fines adoriri Heraclius ausos,
 611 auxilio populorum usus, quos incola terrae
 612 Arabiae felix proprio de nomine dictos
 613 ipsa suo quondam Romana in proelia misit.
 614 Militiae sed enim postquam, morumque periti
 615 bellandi cunctas didicere artesque, dolosque,
 616 ingentique aestu atque insueto frigore corpus
 617 durarunt, hostesque sua virtute subactos,
 618 disjectosque duces, desolatosque maniplos
 619 videre et maestas vertere in terga phalanges,
 620 descivere fide, seque adjunxere volentes
 621 imperiis Arabum, tum primum in bella secuti
 622 Abdaridem : quo non alter versutior umquam,
 623 seu sit opus varias populis intexere fraudes,
 624 deceptasve semel compellere ad impia mentes,
 625 eversorem Asiae, portentum immane, luemque

626 excitam barathro, qui verum e pectore cultum,
 627 inque Deum pietatem omnem subvertere doctus
 628 et miseros imis animos damnare tenebris,
 629 dum simulat sese venienti numine totum
 630 afflari, mentemque Deo, sensusque teneri :
 631 illicit ingenti, turbae rudis auctus opum vi
 632 Aegyptum aggreditur, Syriamque in jura, fidemque
 633 cogit et eversos Persas belloque, fameque
 634 occupat, ac miseris ritus describit habendos
 635 sacrorum et faciles infanda ad crimina leges.
 636 Inde igitur firmis legionibus undique septus
 637 Judaeam invadit, Solymosque oppugnat et urbis
 638 moenia, dejectis passim custodibus atrox
 639 aequat humi, populosque pios obtruncat et aedes
 640 templeaque, quae Christo transacta dicaverat aetas,
 641 excindit, sacratque sibi, pro dedecus, aras :
 642 infandas aras illic, ubi nuper Iesus
 643 vera Dei soboles, summique exemplar amoris,
 644 ad caelum monstrarat iter, sublatus iniquis
 645 judiciis, duraeque cruci data victima, primi
 646 morte sua luerat peccatum immane parentis,
 647 infernasque domos victor recluserat : illic
 648 fundamenta jacit diri teterrima ritus.
 649 Ulla nec immemores etiam dum cura nepotes
 650 (heu labem sceleris numquam ulla in gente relictam)
 651 tangit et in populos vindex agit ira rebelles.
 652 Sexcentos jam capta annos infamibus aris
 653 servit adhuc Solyma et culta in convalle Damascus.
 654 Nec pudet egeledi Daphnen ad litus Orontis,
 655 quae populos Christi de nomine prima vocavit
 656 ausa suos, nec non Biblon, Sidona, Tyronque
 657 oppressa cervice jugum perferre, suaque
 658 desperare omnes de libertate : nec ullam
 659 partem Asiae, magna quae non dicione prematur
 660 Turcarum atque Arabum. Quando gens illa nefanda
 661 acta fame quondam Scythiae deserta reliquit
 662 et vitae ingrato quaerens alimenta labore
 663 ipsa suas operas Persis famulata locabat.
 664 Sed simul ac juvenum coetu florere, virumque
 665 coepit et instructas potuit discernere turmas,
 666 in dominos ausa est proprios convertere dextras,
 667 atque acie fuis patrias imponere leges.
 668 Sic Medos, sic Armenios, Cilicesque feroces,
 669 et Lycos, Lydosque manu superavit et audax
 670 intulit arma Arabis nec erat tum viribus aequis :
 671 congressi tamen in pugnam, seque inter adorti
 672 discessere pares, foedusque his legibus ictum :
 673 esset it his idem atque illis Deus, impius idem
 674 cultus et Abdarides unum modo numen utrisque.
 675 Ac veluti par acre canum, cum valle latentes
 676 impulsi quaerunt odiis immanibus apros,
 677 saepe illi inter se rixam committere sueti,
 678 ambo animis paribus, paribusque aetatibus ambo,
 679 undantes cohibent irarum in pectore fluctus,
 680 donec ad expositae direpto in tergore praedae
 681 pervenere dapes ; subitas ibi protinus acti

682 in furias, pedibusque pedes atque oribus orae
683 impliciti dubiae ruperunt foedera pacis,
684 alter in alterius fauces, jugulumque ruentes
685 mutua vulnificis laniarunt dentibus artus.
686 Atque hic ipse Asiae status est : haec denique rerum
687 cunctarum facies, dux invictissime, quando
688 jamdudum imbellis sua jura amisit Alexis
689 Graius et imperii vix ipsum a finibus arcet
690 irrumpentem hostem flumen Tanaisque, palusque
691 Maeotis, Pontusque ingens et Bosphorus et quae
692 influit Aegaeas dimissa Propontis in undas.
693 Quem tamen Europae si pars conjuret, opemque
694 differat et regno, saevaque tyrannide pressis,
695 praecipitemque, actumque procul fugere inde videbis
696 ad montes Scythicos atque incunabula patrum,
697 rursus et in caecas Arabum remeare cavernas.
698 Nam quis tam timidus, quem desperare coactis
699 non pudeat tanti populorum viribus ipso
700 defensore Deo ? Cujus si certa voluntas
701 Christicolum rebus non adversata favebit,
702 ipse ego mille acies peditum, mille agmina solus
703 contemnam, aériasque suis cum molibus arces."
704 Dixerat atque animo volventem talia regem,
705 ararum et populi custos compellat Alethes.
706 "Optime dux Italum, saeculis decus addite nostris,
707 quem modo stelliferi moderator maximus orbis
708 opportunum ad nos, ipsoque in tempore misit,
709 his tectis quamquam angustis, quamquam hospite tanto
710 indignis, pater ipse tuus successit et altae
711 victor Iapygiae nostra haec ad limina adibat
712 et tenues mensas et res dignatus egenas.
713 Tu quoque si contemnere opes, luxusque beatos
714 nunc potes, ingreditor nostros, Boemunde, penates
715 et dapibus laetus jamdudum accumbe paratis."
716 Sic ait : actutumque hilares ex aede profecti
717 una (tum) omnes abire domum senioris Alethae.
718 Hic ipso in medio, quo se spatiosior aula
719 explicat, antiqua ex cedro, laevique cupressu
720 induerant mensas niveis mantilia villis ;
721 et mira picti pendebant arte tapetes
722 parietibus : quippe impositas ex ordine plagas
723 Aegypto tatrix depinxerat aemula, primum
724 flumina purpureo currentia tota cruore,
725 sanguineos etiam rivos et stagna, lacusque.
726 Praeterea (horrendum visu et miserabile) siqua
727 vasa domi privos olim servantur in usus,
728 omnia cernere erat taetro fluitantia tabo.
729 Strataque mox querulis ranis adoperta viarum,
730 obsessasque fores, obsessa cubilia, nec non
731 consumptum omne penus turba accedente loquaci.
732 Ipsi etiam culices tellurem atque aera magnum
733 complentes, hominumque genus, jumentaque passim
734 laedere et impressis maculosos dentibus artus
735 livere : ac magnas muscarum implere catervas
736 atria nobilium, thalamosque, aulasque patentis :
737 quadrupedesque feras grassantem extinguere pestem :

738 ulceribus periisse homines, periisse videres
739 quicquid habet pecudum regio ditissima Nili :
740 usque adeo magnae magni stant caedis acervi.
741 Post quae fulminibus summus circumsonat aether ;
742 verberat et grando sata laeta, boumque labores
743 et subiti e densis descendunt nubibus imbres,
744 pinguiaque innumerae populantur rura locustae :
745 quae virides avido segetes absumere morsu
746 pergentes, strictim detonsa novalia linquunt.
747 Parte alia caeca nigra caligine nubis
748 contectas terras credas horrere perennes
749 aeternae tenebras ventura in saecula noctis.
750 Postremo, quae prima usquam sunt edita primis
751 partibus et prima in lucem venere, diemque,
752 sive sit ancillae, seu regis amabile pignus,
753 seu pecudum fetus, misere sublata jacebant :
754 turbaque Pellaei luctum male sana Canopi
755 miscere et tantis haerere incredula monstris.
756 Haec dum oculis, animoque ingens simul hospes et heros
757 mirantur, pueri magnis a patribus orti
758 dant manibus lymphas et candida lintea puris.
759 Tum vero supplex animis atque ore sacerdos
760 adstitit, inque preces solemnia verba resolvit :
761 "Summe Pater rerum, nobis qui cuncta benignus
762 suggeris et varias largiris egentibus escas,
763 adsis o praesens epulis et numine lustra
764 ipse tuo hunc coetum et castae convivium mensae."
765 His dictis sedere omnes, dapibusque paratis
766 injecere manus laetique medentia siccis
767 faucibus hauserunt generosi sobria vini
768 pocula, festivo tempus sermone trahentes.
769 Interea cithara praestans Minturnus eburna,
770 Minturnus, quem Fibreno cum flumine Liris,
771 dum fugit exosus nemora inter opaca profanae
772 antiquos ritus et sacra horrenda Maricae,
773 miserat instructum numeris atque arte magistra,
774 invicti cantat laudes et maxima Mosis
775 facta ducis, tacitosque ortus, ut conditus alveo
776 pertenui, in summo primum fluitaverit amne :
777 "Ut puerum virgo saevo prognata tyranno
778 regia servatum matri mandarit alendum :
779 utque domi acceptum, postquam primoribus annis
780 accessere dies, ceu natum amplexa, fovensque
781 ingenti cura, studioque eduxerit omni.
782 Addit et Ogygium cum ferro obtruncat et alta
783 litore Niliaco contectum occultat arena :
784 cum fugiens odium saevi Pharaonis et iram
785 tutus ad Arabios se contulit advena fines
786 et magno genitas septem Raguele puellas
787 tutatur praesens, sumptisque ulciscitur armis
788 solus et infestos fugat ipso a fonte latrones.
789 Inde autem, jussuque Dei, monituque reversus
790 Aegypto in media sumpta miracula virga
791 edit et Isacidus misere servire coactus
792 eximit imperio dominorum atque amne relicto
793 Arsinoe oppositam ad ripam deducit ovantes.

794 Intentansque manu non enarrabile rami
 795 robur, Erythraeas undas disjunxit ab undis :
 796 litoreque adverso potitur, quem pone sequentes
 797 currusque et turmas equitum, peditumque cohortes
 798 demergunt fluctus, coeuntiaque aequora in unum."
 799 Haec vates, citharamque una cum voce repressit.

LIBER SECUNDUS

S_2 v.1 Aureus interea medium superaverat orbem
 2 Phoebus et Oceani properans vergebat ad undas
 3 cum sic ad regem senior conversus Alethes :
 4 "Quod felix, fastumque tibi, Boemunde, tuisque,
 5 Europaeque, Asiaeque omni, Libyaeque patenti,
 6 jamdudum aspicimus tanti primordia belli,
 7 ut volumus, resque ipsa suo se pondere librat ;
 8 et precibus nostris placidas Rex magnus Olympi
 9 advertens aures, jam nunc fore monstrat, ut olim
 10 ipse tibi manifesta volens haec omnia firmet,
 11 tantorumque operum praeclara incoepta secundet.
 12 Ergo age (quando quidem melior pars acta diei
 13 admonet haud longe terris instare tenebras
 14 noctis et Hesperio properare a litore somnum,
 15 nec cenae dum tempus adest) in tecta vocari
 16 nostra jube lectos, quos mens tua destinat una
 17 ire viros, aliam cum primum crastina lucem
 18 aurora extulerit, vegetosque e mollibus artus
 19 ingressurus iter stratis erexerit hospes."
 20 Tum Robertiades vultuque et pectore laetus.
 21 "Ista, inquit, mihi, sancte senex, tam grata voluntas,
 22 quam quae olim votis rerum prosperrima nostris
 23 eveniunt, faustisque preces successibus aequant.
 24 Namque ego dum tantam tacitus mecum ipse revolve
 25 hanc curam et partes urbis convertor in omnes,
 26 te solum statuo, molem qui muneris hujus
 27 ingentem subeas, qui nostra fidelis ad aures
 28 Pontificis mandata feras, ac protinus uni
 29 polliceare fidem, dextramque ad justa paratam
 30 arma : modo haec reliqui veniant in foedera reges
 31 Gallorum, quos ille adiit digressus ab urbe
 32 nuper, ut Abdaridem cunctos accendat in hostem.
 33 Quoque id commodius confectum ex ordine reddat,
 34 concilium in mediis nunc primum indicit habendum
 35 Arvernibus, regesque illuc, populosque vocari
 36 imperat et magni proponit praemia facti
 37 ipse mihi praesens praesenti ingentia, fratrem
 38 dum pacat, mentemque unam conatur utrique
 39 addere et aeternae calcaria subdere laudis :

40 omniaque incassum nam nos discordia demens
 41 impulit infecta tristem dimittere pace.
 42 Nunc autem, quando haec certo sine numine Divum
 43 confieri nequeunt et jam via lata patescit
 44 hostis ad excidium Scythici, Solymaeque salutem,
 45 ite illuc celeres, postquam lux tertia Solem
 46 extulerit terris et me fore dicite jussis
 47 parentem atque ultro subeuntem pondera rerum
 48 in partem et cunctas ad tanta incoepa paratum
 49 fundere opes, nostri nervos et viscera regni."
 50 Haec ille et, noctis cum jam pars prima sub undas
 51 Oceani stellas secum devexa tulisset,
 52 cenati serae se composuere quieti.
 53 At non et Petrus non et longaevus Alethes
 54 per membra atque artus dulcem fudere soporem
 55 ante, pias quam mente preces et voce tulissent,
 56 aeternum numen concepta in vota vocantes.
 57 Interea roseis Aurora invecta quadrigis
 58 fluctibus ex alti surgit maris et sua caelo
 59 astra fugans, reteggit montes, camposque patentem :
 60 primaque sollicitis hominum corda anxia curis
 61 excitat ad varios terraeque, marisque labores.
 62 Illi igitur, postquam venientem a limine regem
 63 voce salutaturum humili, laetumque precati,
 64 felicemque diem, prior est ita fatus Alethes.
 65 "Quod mandas, fierique jubes, rex opime regum,
 66 en tibi praesto adsum, nec melongaeva senectus
 67 effetaeve queunt incoepo avertere vires.
 68 Conatum modo respiciat dominator Olympi
 69 hunc nostrum et rerum eventu fortunet euntem.
 70 Interea (nisi forte alter videatur) ad aram
 71 Nicoleo sacrum fieri de more jubendum est :
 72 quo communis amor, natiqque, patrique supremi
 73 spiritus a nobis in vota, precesque vocetur,
 74 allaturus opem linguae, cum facta potestas
 75 dicendi fuerit, tua cum mandata referre
 76 Pontifici heroum mediis in millibus unus
 77 cogar inops animi, longoque infractus ab aevo.
 78 Ille mihi persaepe alias praesensque, volensque
 79 affuit oranti, dulcesque ex ore loquelas
 80 extudit et voces, quibus impacata Pelasgum
 81 pectora lenimus, populoque avertimus iras
 82 immanes, ullis opus insuperabile verbis.
 83 Usque adeo magnum est divina afflariet aura."
 84 Haec ait et regem praeceunt ad templa secutus,
 85 primum ambas de more manus, (atque) induit ambas
 86 purpureis plantas soleis : obnubit amictu
 87 candenti caput et latos circumtegit armos,
 88 inque crucem filo pectus super impedit acto :
 89 cui Pelusiaci talos currentis ad imos,
 90 inque sinus laxae byssi spatiantis honorem
 91 addit et adducta cohibens premit omnia vitta.
 92 Tum vero e collo tactum prius ore, labrisque
 93 demittit venerans limbum, quem sedula texitrix
 94 ternarum spatiis crucium distinxerat aequis.
 95 Postremo horrentem multum superinduit auro

96 et diti Serum contextam e vellere vestem.
 97 Mox niveum tegmen, gemino cui vertice duplex
 98 surgit apex, gemmisque procul radiantibus ardet,
 99 protinus imponit capiti, quo taenia subter
 100 demissa hinc atque hinc pendet brevis inde precatus
 101 aeternum numen, labentem desuper auram,
 102 sanctam auram, communem auram Natiq̄ue, Patrisq̄ue
 103 toto animo, tota fundit pia murmura mente
 104 cer(nu)us et verbis, precibusque potentibus ipsum,
 105 ipsum unum presso ore Deum, cui pontus et aether,
 106 cui parent elementa, vocat : venit ille vocatus
 107 caeleste in crustum et donum (admirabile) Noae.
 108 Inde autem postquam precibus, sacrisque litatis
 109 casta sacerdotum series praecessit euntem,
 110 succedunt proceres, mox turba incondita vulgus,
 111 longaeuque senes, nec non longo agmine matres
 112 omnia succensis illustrant compita flammis :
 113 densa diem, Solemque suum funalia vincunt.
 114 Ille Deum, genitumque Deo, sanctamque parentem
 115 voce vocat, caeloque animas, mentesque receptas,
 116 ordine quamque suo : vocem chorus omnis eandem
 117 una iterans implorat opem, qua labibus olim
 118 placatus nostris, oculos mortalibus aequos
 119 advertat miseris alti regnator Olympi.
 120 Haec postquam repetita, die sancteque, pieque
 121 altera et alterius festo lux agmine vidit,
 122 rege salutato senior discessit Alethes,
 123 nobilium in primis juvenum comitante corona.
 124 Quaque adeunt, certis implent rumoribus urbes,
 125 oppidaque Italiae : bellum exitiale parari
 126 in Turcas, Arabasque feros, divinitus actam
 127 advenisse diem, poenas cum penderet hostis
 128 sacrorum, ararumque Dei, cum libera collum
 129 exueret Solyme, flueret jam major Orontes,
 130 ac caelo grates ageret Nicaea, Tyrusque.
 131 Daunius haec primum, qua panditur Appula tellus,
 132 audiit et pelago quae brachia porrigit Ancon,
 133 dives opum, dives pictai vestis et auri.
 134 Nec non et bellum Rubicon indicere suetus
 135 hostibus imperii sed nunc civilis amator
 136 dissidii et patrio qui sanguine foedus abundet.
 137 Quin pater Eridanus, populi quem mille fluentem
 138 a dextra, laevaue colunt, qui dissecat arva
 139 Insubrum, superumque rapax defertur in aequor,
 140 talibus impulsus monitis commovit ad arma
 141 ipse suos, miroque animos calefecit amore
 142 bellandi atque Asiae campos, Syriaeque videndi.
 143 Mox et Inalpini fama inflammantur eadem,
 144 Allobrogisque olim rebus gens laeta novandis
 145 illa quidem, sed nunc regum studiosa suorum.
 146 Ergo ubi jam Graias horrendi verticis Alpes,
 147 duraque piscosi superarunt saxa Lemani,
 148 quaque Araris, Rhodanique una se flumina jungunt,
 149 accelerant gressus, Nannetumque arva petentem
 150 et cursu ingenti certantem atque amne Garumna
 151 transmittunt Ligerim et celebri clarissima fama

152 moenia, quae gelidis Elaver praeterfluit undis,
153 adveniunt, rigidi subeuntes ardua montis.
154 Huc Latiae Pater excelsae qui praesidet arci,
155 terrarumque omnem moderatur legibus orbem,
156 accierat reges, populisque aeterna ferentes
157 jura sacerdotes(que), viam, quae tendit ad astra,
158 ostendunt mediis inter vaga flumina Celtis.
159 Huc ubi Iapygia venisse ex urbe profectos
160 audiit ad sese summus Pater, ilicet omnes
161 imperat hospitio recipi, paucosque moratus
162 inde dies, dum se longo recreare labore
163 possent et memori mandata revolvere mente.
164 Mox autem rerum custodem in tecta senatum
165 advocat atque una seniore accersit Alethem.
166 Convenere patres, lectissima corda, suaque
167 unanimes clara sublimem in sede locatum
168 Pontificem densa circumsedere corona.
169 Affuit et procerum virtus et maxima vulgi
170 undique convenit vis inconsulta, procaxque.
171 Ac veluti ingenti vitiosae ex ilicis alveo
172 corticibusque cavis densae simul undique nubes
173 egrediuntur apum, volitantque ad florea Tempe,
174 rura catervatim nusquam tamen una petentes ;
175 sed varios vario populantes agmine saltus.
176 Haud aliter quicumque urbem, quicumque colebant
177 Arvernorum agrum, diversa e parte ruebant
178 in tecta et sacri palatia celsa senatus.
179 Protinus ingenti strepitu completa remugit
180 regia et insueto gemuit sub pondere tellus,
181 pulvereamque altum prorupit in aera nubem,
182 dum teritur pedibus venientum et pressa fatiscit :
183 quorum alios propere ingressos spatiosa recepit
184 aula, alii sub porticibus consistere jussi
185 vestibulum ante ipsum creber nam rumor ad aures
186 jamdudum acciderat cunctorum, ab Iapyge rege
187 mitti oratores, longinquaque bella parari.
188 Ergo ubi consessu in medio data copia fandi
189 atque alii tacuere omnes, sic inquit Alethes.
190 "O Pater, o custos populorum, o maxime, cujus
191 discedens terris, qui nunc tenet ardua caeli
192 astra Deus, certae voluit committere curae
193 cunctorum, quicumque aura vescuntur inani
194 Christicolae, ritumque pio assuevere, salutem ;
195 venimus extremis Daunorum a finibus usque,
196 emensi Italiae campos, caeloque minantes
197 et glacie rigidas, nivibusque perennibus Alpes :
198 venimus huc celeres, jussit ceu maximus armis,
199 maximus imperio et pietate insignis et uni
200 ipse libens tibi qui sese et sua regna suosque
201 subjicit et fasces ultro, saevasque secures
202 Roberti proles magni Boemundus avitas :
203 quas Siculi, quas Ausoniae pars maxima, quasque
204 Illyrii, Graiique omnes venerantur et horrent.
205 Ille dare in primis sua nos haec oscula jussit,
206 quae damus et sanctis advolvimur usque volentes.
207 His pedibus, coramque genu Sanctissime flexo

208 numen adoramus praesens, quo limina caeli
 209 clausa piis aperis et aperta nocentibus obdis
 210 certus, iterque hominum nullo reparabile nisu
 211 obstruis aeternum, sontesque ad Tartara trudis
 212 impia, ubi certae certam spem quisque salutis
 213 abjicit et lento consumitur impius igni.
 214 Mox si forte aliquas generosa pectoris iras
 215 excitat exoriens Persarum in finibus hostis,
 216 dum cladem Europae infandam, exitiumque minatur,
 217 dumque aras et templa Dei, dum funditus imis
 218 eversurum animis verae pietatis honores
 219 sperat, opes Asiae late populatus et urbes ;
 220 hoc uno si forte metus, quo certius ullus
 221 haud turbare potest mentes, animosque piorum,
 222 sancte pater (ceu fama refert vulgata) moveris,
 223 ipse opibus regni, quascumque habet, ipse vetustae
 224 militiae cunctis se viribus adiuturum
 225 conatus, nullasque vices bellique, domique
 226 vitaturum umquam spondet, modo justa parentur
 227 arma, quibus Turcarum acies, Arabumque rebelles
 228 perdomitae nostris cedant legionibus agros,
 229 oppidaque et populos, quorum cervicibus haeret
 230 turpe jugum, pater, an potius miserabile dicam ?
 231 Dicam utrumque equidem, nec dicto ludar inani.
 232 Ecquis enim nescit nostrorum crimine patrum
 233 crevisse et partis Latium spoliasset trophaeis ?
 234 Dum se desidia dedunt, dum corpora bello
 235 fortia desuescunt, dum se somnoque, ciboque
 236 enervant, odiisque animos civilibus implent :
 237 sic stravere viam nostram, qua invaderet audax
 238 hostis et Aegaeas sese penetraret in oras
 239 et campis Asiae et Libyae poteretur opimis.
 240 Ac nunc ille quidem Solymae (proh dedecus ingens)
 241 regnat ovans, Christoque Deo multo ante sacratas
 242 funditus evertens (quae quis tristissima fando
 243 temperet a lacrimis ?) Tolli jubet impius aras ;
 244 proque aris, templisque suis stabula alta reponit
 245 dirus equis, nostro quos sanguine pascit, alatque :
 246 fretus ut iis miseras misero premat undique gentes
 247 servitio et dura jam compede vinciat orbem
 248 terrarum, ac media dominum se sistat in urbe,
 249 pressurus mox colla jugo tibi Galle, tibique
 250 Germane armipotens, tibi dulcia pignora natos
 251 ablaturus, ut in mores, ritusque nefandos
 252 conjiciat, castasque nurus, tenerasque puellas
 253 e gremio matrum raptas ad stupra reservet.
 254 Et, quos ad laudem et decora alta Britannos, quosque
 255 Ausonia et felix ad spem virtutis avitae
 256 Europa extulerat mater, nec ad ulla creatat
 257 servitia et labes, ignominiosaque vitae
 258 dedecora, ingenuos ollis abolentia fastus
 259 et quicquid virtutis habent a stirpe relictum,
 260 ad sese abductos (heu dira opprobria) cogat
 261 jungere semiviros obscaena, incestaque lecti
 262 foedera, vel Caribus lixis inhonesta, Syrisque ;
 263 membraque praeduris sectos persaepe flagellis,

264 aut foribus vigiles astare ad limen, herilisque
265 observare oculi nutus et verba potentis ;
266 aut ancillarum conclusos molibus altis
267 custodire greges, quibus improbus ille tyrannus,
268 ille Dei, nostrumque hostis teterrimus omnium
269 praeficit exsectos ad munia foeda ministros
270 et tamen haud magnum fuerit vicisse superbos,
271 elatosque animis populos, ubi vincere sueta
272 assuetas vinci nulla formidine gentes,
273 illa olim redeat nostra in praecordia virtus.
274 Namque Itali si forte duces, acresque Britanni
275 et Galli coeant una socia arma ferentes,
276 seque adeo in privas acies, privosque maniplos
277 singillatim omnes populi secernere pergant,
278 Abdaridas quotiens in pugnam atque arma vocarint,
279 praestabunt numero ; quamvis certamine in ipso
280 privatae acies privos adeant peditesque, equitesque.
281 Ergo age sancte Pater, quoniam, quod poscere votis
282 tota videbatur jampridem Europa, quierunt
283 mota odiis inter populos civilibus arma
284 et se cessurum fratri Boemundus avitis
285 finibus imperii spondet, regnisque paternis,
286 scilicet et circum florenti milite septum
287 aggressurum armis Asiae, si jusseris, oras :
288 vel quemcumque pio statues praeponere bello,
289 illius auspiciis in proelia semper iturum :
290 aggredere ingenti dignum pietate, quod ulla
291 non abolere dies, memorique evellere mente
292 possit opus, non ulla animis delere vetustas :
293 vel si se toto permisceat aequore tellus
294 et rapidis summus conflagret ab ignibus aether,
295 absumens aevi monimenta aeterna prioris :
296 aggredere o pater atque Asiae miserere, tuum quae
297 auxilium implorans, ad te post funera mille,
298 mille hominum caedes et versas funditus arces
299 confugit et supplex oculis te respicit unum,
300 unum orat Solymae plebes miseranda, quod hosti
301 serviat Abdaridae, quod iniqua facessere jussa
302 cogatur : sed quae nil ferre dolentius umquam
303 posse putet, quam quod dominis servire profanis
304 illam urbem videat, cujus nulla orbita, nulla
305 sint loca, quae Christus pedibus nos presserit et quae
306 non habeant nostrae vestigia fixa salutis.
307 Haec Boemundus et haec Syriis qui nuper ab oris
308 nuntiat adveniens gravia et miseranda relatu
309 cuncta quidem, sed longe ipso teterrima visu ;
310 ac se praesentem praesens unum omnia saepe
311 perpessum et flagris caesum servilibus artus
312 testatur, dum sancta pius loca visit et arae
313 adsistens humilis divinum numen adorat,
314 hic vester, vestra in patria jam natus et altus,
315 civis et a puero sanctae vetus incola eremi."
316 Haec postquam fari desit grandaevus Alethes,
317 cunctorum assensus procerum, vulgique secutum est
318 murmur, ut Alpinis cum flabra increscere silvis
319 incipiunt, pulsumque aura nemus omne remugit.

320 Utque etiam Zephyrus tumidum cum verberat aequor,
321 exagitatque ruens fluctus stridentibus alis,
322 scinduntur spumae et scopuli sparguntur acuti.
323 Atque aliquis prope se stantes affatus amicos :
324 "O utinam vera ut nobis oracula fudit
325 iste senex, ita Pontifici videantur et omnis
326 protinus Abdaridas Europa armetur in hostes."
327 Haec ille. Ast alter : "Subeat modo pectora talis
328 cura patrum, me me in partem misisse pericli,
329 communique operam juvet impendisse labori."
330 Sustulit inde oculos summus pater atque verendae
331 majestate manus agere alta silentia jussit :
332 oraque prolixa penitus canentia barba
333 et multis longae rugis inarata senectae
334 vertit ad affusam vulgi, procerumque coronam
335 atque haec sedata maestus sic voce locutus.
336 "Non his, o procerum lectissima pectora, quae nunc
337 audistis, resonat primis conquestibus aures
338 nunc primum : fletus quoniam, lacrimasque dederunt
339 saepe alias oculi et luctu mens victa resedit
340 ipsa suo, dum maesta nihil superesse videret,
341 auxilium unde aliquod miseris afferret, opemque :
342 tanta olim populos discordia, tantus ubique
343 seditionis amor reges in bella vocarat,
344 quorum armis, quorum in primis virtute decebat
345 defendi imperii fines : procul undique pelli
346 Abdaridas ; Solymae jus libertatis ab ortu
347 scilicet, inque caput nostrum sine more ruentis
348 turbinis, horrida postquam cecidere ruina
349 omnia, quae medii disternat unda profundi,
350 oppida et Europa longe discludit ab alta.
351 Sic tibi, summe Deus, scelerum certissime, vindex,
352 cunctorumque operum iudex aequissime, visum.
353 Nunc autem quoniam, quod nec conatibus umquam,
354 nec votis cessit nostris, quod oportuit, ullis,
355 unanimes vincit felix concordia fratres,
356 Ausoniis quorum late dominatus in oris,
357 gratia magna tibi regum Deus armipotentum,
358 mentibus infundis caecis qui lumen, agisque
359 et cohibes, quandoque libet, populosque, ducesque.
360 Magna quidem sese rerum atque inopina facultas
361 offert, o dubii fidissima robora belli,
362 o gens armorum studiis exercita Galli ;
363 qua cupide arrepta, quis non intelligit unis
364 cessurum tanti decus indelebile facti :
365 cum praesens Gallos, cum sera fatebitur aetas
366 ejecisse Asia e media, corda impia, Turcas :
367 cumque urbs sancta Dei Solyme, cum dives Idume
368 juris facta sui dicet, se fortibus ausis
369 deberi vestris vestra virtute redemptam ?
370 Gallorum proavi dextris victricibus usi
371 atque animis nullum docti praestantibus usquam
372 posse iter occludi, quamquam insuperabile, quamquam
373 rupibus obseptum vastis atque undique tutum
374 defensore suo ; tamen hi magnamque, bonamque
375 Italiae partem quondam tenuere, colonis

376 ejectis, qui tunc illic habuere, marisque
 377 Ionii superum permensi classibus aequor,
 378 substructam Delphis mendacis Apollinis aedem,
 379 aedem auro et gemmis nitidam, sectoque elephanto
 380 conspicuam et positis opulenta sacraria donis,
 381 vertere in praedam et populos uno agmine adorti
 382 in media potuere Asia componere sedes,
 383 indereque aeternum victis de nomine nomen.
 384 Et quota Gallorum pars tum fuit illa juvenus ?
 385 Nec numero certe vobiscum aequanda, nec armis :
 386 nec pariter belli dubiis exercita rebus,
 387 sed vaga et imperiis ductorum incommoda pubes.
 388 Adde quod auspiciis falsorum impulsa Deorum,
 389 finibus egressa e patriis aliena subegit
 390 regna tamen, domuitque utros feritate tremendos.
 391 Vos, quibus ante alias summa est praestantia gentes,
 392 sive animos, sive egregias spectabimus artes
 393 militiae et firmas robusto in corpore vires ;
 394 vos, victor quibus ipse Deus, Deus ipse praeibit
 395 Christus ovans, circumque atra formidine cinctus
 396 fulguraque et rapidas demittet ab aethere flammam
 397 hostilem in turmam, inque acies, inimicaque castra ;
 398 vos cultu gens una pio gratissima caelo,
 399 natam in servitium gentem atque infensa Tonanti
 400 municipia, e Scyticis nuper digressa cavernis,
 401 non modo regna metu vestra ut solvatis ab atro
 402 omnibus instantis tam dira a gente pericli ;
 403 vestra sed ut virtus miseranda ergastula frangat
 404 Christiculis Asiae, Libyaeque patentis alumnis,
 405 invasisse pio dubitatis impia bello ?
 406 At non ille tuus semper memorabilis heros,
 407 ille tuus quondam fortissima Gallia, ductor
 408 Martellus, numero quamvis et viribus impar,
 409 Abdemarum Libyae victorem in regna ruentem
 410 vestra et Aquitani late fecunda tenentem
 411 arva soli et circum magnis legionibus auctum,
 412 occurrens mediis dubitavit sistere campis,
 413 Celtarumque oris populos prohibere rebelles.
 414 Ille igitur multo tepefecit sanguine campos
 415 atque cadaveribus Ligerim complevit inultis :
 416 et terram innumeris caesorum intexit acervis,
 417 nullus ut ad diros remearit nuntius Afros
 418 excidio ex tanto ; sola res didita fama
 419 Abdaridum, qui longe aberant, tum perculit aures.
 420 Nec nos decipiat, nostris quod longius absunt
 421 finibus et caedes alio miscentur in orbe :
 422 praesto aderunt, ferroque omnes atque aere corusci,
 423 ulturi strages, quas acceperere suorum.
 424 Omnis enim iratis facilis via quicquid et illic
 425 nunc perit, Europae toti perit ; impia si non
 426 gens exstincta cadat, pia gens cadat omnis oportet.
 427 Namque ut nulla lupis pax est et mitibus agnis :
 428 sic et amicitiae ratio, sic jusque, fidesque
 429 nulla potest inter natos Caelique Erebi,
 430 esse umquam : vigeant atris infecta necesse est
 431 corda odiis ; quamquam interdum concordia discors

432 distinet assultus illorum et comprimit iras,
433 donec ad insidias rursus, caedemque relecti
434 fallaces animos, perjuraque foedera vertant.
435 Ergo agite, o juvenes, tantorum sanguis avorum,
436 certa ducum soboles, rerum spes una labantur,
437 hoc vos tam justum vobis deposcite bellum.
438 Ite, aperite viam ferro : vos fortia fortes
439 facta decent ; ignavia aliis sint otia cordi,
440 quorum praeclarae tangit praecordia laudis
441 nullus amor, nullo ad magnas spes suscitatur aestu
442 gloria, nulla domi majorum inflamat imago.
443 Ipse sua vos voce vocat Deus ; ipse paravit
444 jamdudum vobis Asiam victoribus omnem,
445 quam mox imperio devinctam et lege regatis.
446 Quamquam aliter si tota cadat res (omen abesto
447 triste procul, potiusque Arabas se vertat in hostes)
448 expectare tamen caelestia praemia vestri
449 conatus, vestrum cui non optabile ? Cui non
450 et turpe et miserum rediturae parcere vitae ?
451 Nec spatium angustum brevis et mutabilis horae,
452 aeternae, ac certae praeponere velle juventae
453 et circumscripto nullis a finibus aevo ?"
454 Vix ea fatus erat, procerum cum coetus ovantem
455 sustulit exsultans clamorem ad sidera, qualem
456 nubibus abruptis dare saepe tonitrua suerunt,
457 poscentes bellum, seque in longinqua vetantes
458 tempora perplexis differri ambagibus, idque
459 unum omnes ore exclamant, unum ore frequentant.
460 Vult Deus hoc fieri bellum, jubet arma moveri
461 haec Deus et specubus resonans respondet ab imis
462 vox eadem : quin ipsae etiam cecidere volantes
463 tecta domosque super sublimi ex aere lapsae.
464 Non secus ac Boreae cum jam frigentibus auris
465 impulit autumnus steriles a vertice silvas ;
466 arentes labuntur humi, ramosque relinquunt
467 aereos, passimque fluunt ex arbore frondes :
468 aut cum maturas decussit ab ilice glandes
469 horridus, ac suis dat pabula laeta subulcus.
470 Intremuere Alpes, fluviisque exterritus unda
471 substitit : atque amnem Ligeris, cursumque repressit
472 illicet et Rhodanum Volcae stupere morantem
473 et sese extremo revocantem ab litore Rhenum.
474 Jamque adeo clamor cum consedisset et omnis
475 conventus procerum, vulgusque et turba sileret,
476 percussus subito sanctus Pater omine mentem :
477 "Extudit hanc vocem vestro Deus (inquit) ab ore,
478 extudit o proceres, crebroque iteravit eandem
479 ille Deus, qui se vobis, comitemque, ducemque
480 exhibet atque animos stimulis accendit acutis.
481 Subjicit ille faces, quibus inflammatus ad arma
482 tam pia sollicita pertentet pectora cura
483 quisque sua, reddatque parem se fortibus ausis.
484 Vos igitur posthac, quoties il bella, necesque
485 ventum erit, afflati quam nunc quasi numine vocem
486 pectore fudistis, memores, repetatis et una
487 illa eat incepto ceu cognita tessera bello.

488 At tu, clare senex, cujus gratissima nostris
 489 mandata invicti regis vox auribus affert,
 490 in patriam cum te referes, refer ordine quicquid
 491 egimus atque illi grates age nomine nostro
 492 ingentes : hortare tenax persistat, idemque
 493 urgeat incoeptum cunctis memorabile saeculis ;
 494 seque suae egregios causa pietatis honores
 495 speret adepturum capta admirabile urbe.
 496 Nunc autem tanto tantorum ex agmine patrum
 497 ecquis erit, nostro qui nomine primus amicas
 498 consecrari acies poscat sibi et addere sese
 499 audeat, his animo nusquam, nec viribus impar ?"
 500 Vix haec fatus erat, gemini cum sede relicta
 501 surrexere viri, latum quos tonsus in orbem
 502 sacrati capitis vertex, quos linea vestis
 503 circumiens humeros operit candore nivali :
 504 hi sibi commissos fidei, curaque perenni
 505 insigni populos animi probitate regebant,
 506 rite ministerio sacrorum et munere functi
 507 Pontificis, cunctos ceu pignora cara fovebant,
 508 Addemarus Bitrux et Narbonensis Hilelmus :
 509 ambo aetate pares, pariterque ad jussa parati,
 510 coeptaque ad optatum cupidi perducere finem ;
 511 ambo alacres vitam, praesens si postulet usus,
 512 fundere et a claris ambo majoribus orti :
 513 sed qui divitias et nobilitatis honores
 514 promeritis hominum longe postponere suessent :
 515 una utrisque eadem virtus, pietasque ferebat
 516 ingentes animos famamque et amabile nomen :
 517 illi inter Celtas et proxima rura Cadurcis ;
 518 huic inter populos, Isarae qui fluminis undam
 519 suscepturam aliud celebri mox nomen ab amne,
 520 quique tuos sparsis incerta Druentia ripis,
 521 dum Rhodanum ingrederis, tumidumque excurris in aequor,
 522 epotant latices atque arva feracia versant.
 523 Surrexere igitur quamprimum e sedibus ambo,
 524 atque humiles adiere Patrem : tum poplite flexo
 525 ad terram, pedibus dederunt sancta oscula sanctis :
 526 post autem Addemarus supplex sic voce profatus.
 527 "Haud equidem, tanto quod nos dignemur honore
 528 Sancte pater, viresve pares satis esse putemus
 529 tanto oneri et tantae nostros supponere moli
 530 insuetos humeros, ultro nos, nostraque primi
 531 Christicolum audemus communi offerre salutem.
 532 Sed quoniam injussi mandatum linquere munus
 533 esse nefas scimus, ne cum custodia longe
 534 acris abest, pleno lupo insidietur ovili
 535 atque animas ovium raptarum in tartara secum
 536 ducat ovans, ideo nosmet modo sistimus ipsi
 537 sanctos ante pedes, solvique a lege rogamus.
 538 Ibimus unanimes quo tu, Sanctissime, cumque
 539 jusseris et populos ritu lustrabimus illo,
 540 quem semper coluit pietas sincera, colitque.
 541 Ibimus atque armis, opibusque et sanguine nostro
 542 privati socios et tanta juvabimus orsa.
 543 Nec nos militiae nobis depreciamur ullum

544 munus et in nostros jus exercere tribules.
545 Unum illud concede Pater, capiamus ut arma,
546 inque hostem adversum servata lege ruemus.
547 Hoc par erit ; praeaeant alii, nos castra sequemur ;
548 et primi ante acies, pugnam cum miles inibit,
549 corpora, quaecumque haec fuerint, sistemus uterque ;
550 morte obita ut nostris animos addamus, humumque
551 sanguine perfusam Christo sacrasse feramur."
552 Haec pius Addemarus : nec multum deinde moratus
553 pauca quidem, sed plena Deo, subjecit Hilelmus.
554 "Quicquid erit, seu vita mihi comitabitur usque,
555 sive illam in mediis continget ponere campis,
556 cuncta animo stat ferre alacri. Tu pectoris hujus,
557 Sancte Pater, maculas, quoniam potes, elue cunctas."
558 Dixerat. Ille autem lacrimantia lumina caelo
559 sustulit et duplices palmas cum voce tetendit.
560 "Christe Deus, qui corda hominum succendis et uris
561 igne novo, miroque novae pietatis amore,
562 ardorem hunc animis reliquorum immitte, tuosque
563 da, Pater omnipotens, laetos ex hoste triumphos
564 ducere et in patriam victricia signa referre.
565 Vos autem illustres animae, vos ite, vicemque
566 vos explete meam : dictis et pondus inesto.
567 Seu bona, sive etiam dira atque infanda precentur
568 in meritos, jubeantque aris procul esse profanos
569 Christicolum et communis sonte absistere coetu :
570 jus tamen Addemarus legati et nomen habeto,
571 in partemque oneris tanti succedat Hilelmus,
572 tempus ubi et rerum praesens sic exigat usus."
573 Haec Pater. Ast illi suscepto munere laeti
574 discessere ambo, solitaque in sede quierunt.
575 His actis animum divina impulsus ab aura
576 ante alios, florensque annis juvenilibus Hugon,
577 Hugon silvarum latebras consuetus iniquas
578 quaerere et informes ursos prosternere, aprosque :
579 regia progenies ; sed qui, nec bella, nec hostes
580 nosset adhuc, laudisque avidus tamen unius esset
581 et nota virtute duces complexus amaret :
582 eximit e numero sese tum primus et ultro
583 Pontificis praesto parentem hortatibus offert.
584 Ad quem tum senior Pater est his vocibus usus :
585 "Macte nova virtute, novum sic fortibus ausis
586 ad superos aperitur iter ; te nobile quondam,
587 aeternumque decus memori clarabit in aevo,
588 grataque te solum reliquis tribuentibus omni
589 heroum e numero, qui factum illustre sequentur,
590 posteritas vero Magnum cognomine dicet :
591 sic volumus, sic nostra libens Deus omina firmet."
592 Tum vero proceres delecti accedere et una
593 militiae certatim omnes dare nomina sacrae.
594 Quorum se longe princeps Goffredus agebat
595 Tullingus, cunctos humeris et vertice toto
596 exsuperans, forma insignis, mediaeque juventae
597 ora intonsa ferens et majestate verenda,
598 jucundus populis, nec formidabilis ulli,
599 militiam caste veterum de more colebat :

600 quin et flagitiis dignas imponere poenas
601 suetus, inoffensas servabat pectoris iras.
602 Illum olim Eustachio peperit formosa marito
603 Ida ducum, regumque parens : genitoribus Ida
604 clara suis, ritusque pii sanctissima cultrix,
605 praescia venturi vates. Ast acer in armis
606 Eustachius, Morinos fuerat qui maximus inter
607 et Gessoriaci rerum flectebat habenas,
608 jucundo spolians ipsum se nomine patris,
609 misit in imperium, Leucis quo libera solus
610 jura daret, pacisque unus, bellique gerendi
611 arbiter, ut primum liquisset avunculus auras
612 aetherias. Ergo is regni moderatur adepti,
613 artibus et clarus pacis, sed clarior armis
614 et ducibus circum et praestanti milite saeptus
615 Pontificis placida sic voce est fatus ad aures.
616 "Summe Pater, cujus nutus et verba jubentis
617 qui vultu, qui secum animo contempserit audax,
618 ille hominum dignus qui coetu exclusus ad hostes,
619 urbe, domo, patrioque solo vagus, exul, inopsque
620 atque exsors erret vitae communis et expes.
621 Sed si militiae quis detrectare laborem
622 hujus amet, pressasque jugo crudeliter urbes,
623 seu Libyae, seu sint Asiae, sanctumque Sepulchrum,
624 noster ubi plagis jacuit confossus iniquis
625 servator Deus, aeternae via sola salutis,
626 eripere e manibus Turcarum negligat ; ille
627 ille, Pater, manes diris defixus ad imos
628 atque ad nigrantum sedes, loca senta, meretur
629 sentiat ut (se) trudi vel vivensque, vidensque.
630 Nemo igitur, nisi fallor, erit tam turpiter ortus,
631 nemo animo tam demisso contemptus, inersque,
632 tamque sui socors (utero modo terra cadentem
633 Gallia materno cupidis exceperit ulnis)
634 abneget ut tantis se nunc accingere coeptis,
635 ipse equidem, de me quicquid promittere possum,
636 praesto adsum, vitae, quaecumque est, prodigus hujus
637 atque hoc in bellum regna effusus, opesque."
638 Haec ubi dicta dedit Leucorum maximus heros,
639 pauca refert Pater Urbanus : "Quas dicere grates,
640 quasve referre parem tibi, dux fortissime ? Quando
641 nil reperire queam, quod non praestantibus impar
642 sic meritis, quae te illustrem super aethera tollunt.
643 Ipse Deus, Deus ipse dabit, mihi crede, laborum
644 praemia magna tibi, Solymae cum ceperis arces,
645 signaque submittens sancto victricia templo,
646 feceris in media nudis vestigia plantis
647 urbe et adorandam supplex extruxeris aram.
648 Interea capiti tegmen, cui fausta precati
649 rite sumus verbis solemni more peractis,
650 impositum subeat meriti diadematis instar :
651 et lateri hic noster laevo tibi pendeat ensis,
652 qui fuget hostiles subito terrore phalanges."
653 Haec memorans, laetae laetus dedit oscula fronti
654 et stimulis auctum magni dimisit amoris.
655 Huic se, Tectofagas inter qui maximus ibat

656 imperio, adjunxit comitem ; cui vivida bello
657 dextera, consiliisque habitus fidissimus auctor :
658 omnia mature properabat et omnia certum
659 ad finem voti compos perducere suerat,
660 quae peragenda forent : quando nec doctior alter,
661 seu librare metum, stimulos sive acribus acres
662 addere et armatas acies atque agmina certis
663 instruere ordinibus, nec quisquam impellere turmas
664 promptior in caedes, inimicaque castra, manusque
665 conserere et pugnae loca commoda nosse futurae :
666 seu valles, collesve humiles, campive jacentes
667 instent, seu saltus surgentis in ardua montis.
668 Illi Atacem quicumque amnem, quicumque rapaces
669 Illiberimque, Obrimque bibunt, quicumque palustres
670 agrorum tractus habitant, ubi saepe latentes
671 fuscina, dum limo innocui vescuntur et unda,
672 perfossa defigit humo (mirabile) pisces.
673 Illi etiam munitae arces, quas Cemmenus alto
674 vertice habet, bellis penitus gens dedita parent ;
675 parent et celebris cultissima rura Tolosae,
676 quam gelidus pulchro praeterfluit amne Garumna.
677 Huic galeam cono insignem, cristisque comantem
678 dat Pater et pectus thorace inducit aeno ;
679 verbaque pauca viro non rerum improvidus addit :
680 "I, bone quo virtus tua te vocat, i, pede fausto,
681 utque soles, patriam factis decorare memento."
682 Inde animis, opibusque ingens et providus aestu
683 ingenii, manibus promptus, facundus et ore
684 insequitur Stephanus nulli virtute secundus ;
685 si sit opus tacitas hosti componere fraudes,
686 occultosve dolos celeri praevertere cursu,
687 instantemque fuga sociis avertere cladem.
688 Carnutum pubes, Senonumque effrena juvenus,
689 laeta virum mediae versantem in limine vitae
690 insequitur, quando consueta facessere tanti
691 jussa ducis, permulta manu certamina belli
692 contulit atque omnis prorsus discriminis expers
693 saepe domum vacuo rediit tutissima campo.
694 Illum igitur Pater Urbanus donavit euntem
695 insigni clypeo, duplex cui circuit oras
696 undique et in sese rediens subit aereus orbis,
697 quaque superficies late patet, evomit umbo
698 inducto ex adamante ignes, monstratque natantem
699 delphinum, medio qui captet in aequore praedas,
700 retibus inclusas praedas, inclusus et ipse ;
701 e quibus ut primum libuit se carcere rupto
702 liberet et tutas referat se tutus in undas :
703 atque his ornatum verbis discedere jussit.
704 "Quas artes olim belloque et pace decoras,
705 dux animo pariter, dextraque invicte potenti,
706 exercere soles, tecum sint usque ; nec ulla
707 immemorem capiant sociorum oblivia, sed te
708 excitet et virtus dubiis in rebus et acre
709 consilium, quae juncta una tuta omnia reddant."
710 Post autem venere duces, duo fulmina belli
711 Roberti ; non illi, iisdem qui patribus orti,

712 sed qui diversa majorum a stirpe profecti,
713 non secus ac gemini fratres sese inter amarent ;
714 inque hostem pariter ruerent, gressumque referrent.
715 Idem utrique animus, caedisque insana cupido.
716 Alter ab Iceno natus patre ; regia cujus
717 sponte sua extremi faciebant jussa Britanni,
718 et Tule et rigido glacialis Hibernia caelo,
719 Oceano disjuncta procul : tamen ipse Caletum
720 litora servabat custos, populosque regebat
721 assuetos gladio pugnam committere et arcu.
722 Alter Rholonis proles fortissima Cimbri,
723 imperio qui Lexovios frenaret et armis,
724 Aulercosque et Nannetes : cui protinus uni
725 pareret gens, Oceanum quae spectat et Arcton ;
726 gens assueta leves in gyrum flectere habenas
727 assultantis equi et celerem convertere cursum,
728 inque hunc, inque illum tela intorquere, facesque.
729 Latum illi pectus, impexaque barba, genaeque
730 horrentes, rigidis adopertaque brachia setis :
731 caedem oculis, caedem vultu, caedem ore minatur.
732 Rebus in adversis ad agendum pronus et audax,
733 verborum longe parcissimus : unus avorum
734 qui facta egregiis aequare ingentia factis
735 vellet et in longum virtute extendere famam
736 ipse suam, seros olim quae clara nepotes,
737 ex se quod prodit, verum decus esse moneret.
738 Quin etiam, si quando hostes dare terga fugaces
739 cogeret atque acri premeret vestigia planta,
740 aequabat celeri Borealia flamina cursu,
741 usque adeo pedibus velox et corpore pernix.
742 Ergo utrique suam nodis atque aere rigentem
743 donat habere viris clavam, geminasque bipennes
744 urbanus ; placidoque haec insuper addidit ore :
745 "His olim Carolus Libycos est usus in hostes ;
746 illius his etiam in pugnam comes irruit Eudon ;
747 quos animi virtus ingens, quos dextra, fidesque
748 spectata egregii vinclo sociarat amoris :
749 accipite ergo hilares et spes hinc discite vestras."
750 At postquam cessere retro, vacuique patebant
751 unicuique aditus, dubius similisque timenti
752 advenit ora ferens casto suffusa rubore
753 Arpinus Biturix, quo non formosior alter,
754 nec juvenem quisquam robustior ; ille palaestram
755 exercere agilem, longaeque ad sidera discum
756 mittere er aérias vectem intorquere per auras ;
757 quin etiam armatus sublimem ascendere saltu
758 suerat equum, versoque super dare corpore gyros
759 aérios, seque ipsum alta componere sella :
760 rursus et in terram tergo revolutus ab alto
761 defluere atque levi vestigia figere planta,
762 "Non me quod ducibus credam, Sanctissime, tantis
763 aequandum et primi dignum cui dentur honores ;
764 his ego nec fastis, nec par aetate, nec usu
765 rerum ullo aequandus, magnis heroibus addam :
766 verum ut militiae duros perferre labores
767 incipiam atque artes bellorum his nosse magistris,

768 quicquid ero, tibi semper ero bellique domique.
 769 Nam me nullus amor patriae, me nulla parentum,
 770 quos ego composui dudum tellure sub ima,
 771 cura subit, dubium coeptis quae avertat ab altis.
 772 Praedia nec mea me mutare, urbemque pigebit,
 773 quam mihi decedens pater ipse reliquerat, auro ;
 774 tu modo virtuti, si qua hoc in pectore virtus
 775 esse potest, laetus linguaque, animoque faveto."
 776 Dixerat, at contra senior sic ore locutus.
 777 "O praestans animo juvenis, praestantior actis
 778 evasure tuis, non te virtutis egentem,
 779 seu sit Arabs, seu Persa fugax, seu Turca, videbit.
 780 Interea, nobis quem mater Iberia misit
 781 Sithonia conceptum aura, Zephyroque tepenti,
 782 portet equus, pugna qui multum exercitus acri
 783 irruit in medias acies, equitumque catervas
 784 aggrediens, rediit spoliis ornatus opimis.
 785 Haec Pater et stabulis promissum munus ab altis
 786 imperat educi ; circum ille hinnitibus auras
 787 personat et crebris cavat ictibus ungula terram
 788 et frenos mandens spumas agit ore nivales.
 789 Nunc parere manu doctus decurrit in orbem
 790 multiplices, seu dextra vocet, seu laeva ruentem :
 791 nunc etiam stabili firmans vestigia gressu,
 792 non secus ac scopulos, media constitit in acta,
 793 interdumque, vagae quoties laxantur habenae
 794 in spatium (vastum), rapidus praetervolat Eurus."
 795 Mox ingens, abiegnata, gravis superadditur hasta,
 796 quam gelidae summis in verticibus Pyrenes
 797 expositam Boreae millesima viderat aestas.
 798 "Haec, inquit, Capeti numquam frustrata vocatus,
 799 cum res Gallorum primus sibi vindicat armis,
 800 Senonasque, Remosque jugo subjungit eodem :
 801 vade age et aeternum factis fer ad aetera nomen."
 802 Sustulit inde sacrae decus inviolabile dextrae,
 803 inque crucis speciem circumtulit. Ilicet omnes,
 804 deletis animo maculis juvenesque, senesque
 805 discessere illinc, seque ad sua tecta tulerunt ;
 806 inque vicem crebris acuunt hortatibus iras :
 807 totaque concepta flagrant praecordia flamma.
 808 Omnibus idem animus crudelem excindere gentem,
 809 ulcisci scelera et Solyos exsolvere duro
 810 servitio, populisque piis afferre salutem.
 811 Gallorum extemplo cunctas it fama per urbes,
 812 decretum in Turcas bellum : passim arma parari :
 813 certos esse (tamen), quorum invictissima virtus
 814 excierit fortes tanta ad certamina Gallos.
 815 Nec minus Italiae postquam pervasit ad oras
 816 nuntius atque avidas laetis rumoribus aures
 817 complevit populis, quos fida Britannia, quosque
 818 dives opum et praestans animis Germania nutrit,
 819 certatim expediunt et se belloque, viaeque
 820 injussi accingunt ; hic nervum explorat et arcum,
 821 hic ocreas multo circum squallore, situque
 822 perpolit obductas, galeamque ex aere nitentem
 823 induit atque humeris lorica obtendit ; aduncaequae

824 in gladios abeunt falces, abit omnis in enses
825 vomis et alterni revomunt sua flumina folles,
826 dum passim innumerae positae incudibus urbes
827 tela novant, saevaque acuunt mucrone sagittas
828 atque hastis, jaculisque addunt inamabile ferrum.
829 Et spes quisque suas accendere promptus et acer
830 castigare moras, socios hortatur et urget.
831 Quae nos desidies, quae mollis inertia lentos
832 detinet atque Asia jamdudum avertit opima ?
833 Sunt vestes, sunt arma illic, sunt plurima equorum
834 armenta et nusquam argenti vis major et auri.
835 Haec illi, quos Belga pater collegit in unum,
836 Belga Deo gratus, sed longe audacior aequo,
837 quemque animi, non certa ducis praestantia raptim
838 duceret, inque acres cupientem impellere hostes.
839 Ille igitur festinus iter dum praecipit et se
840 primus agit, vulgo accurrunt, exercitus ingens
841 augetur magis atque magis, quascumque per oras
842 fert gressum, innumeris viduat cultoribus agros ;
843 incluta quos eadem raptabat in arma voluntas.
844 Parte alia misti populis comitantibus ibant
845 heroes, supraque omnes capita alta ferebant
846 illustres, veluti sparsa inter nubila quondam
847 caelestes splendent radiis fulgentibus ignes ;
848 majores ignes, primaque in nocte micantes.
849 Quos aliquis forte aspiciens. "Quas, inquit, in oras
850 hos juvenum flores, hodie, mea Gallia, mittis ?
851 Et Ver ipsa tuum primum nunc demis ab anno,
852 heroum dum te tantorum robore nudas ?
853 Quo sine quis fines nostros tueatur, opesque ?
854 Contra alius. Nescis quam sit fecunda virorum
855 Gallia, vel sumptis quantae virtutis in armis.
856 Vanaque formido te decipit et tamen istum
857 terrorem Deus infidos avertat in Afros :
858 Gallorumque decus laetis successibus auctet.
859 Quod fore non dubiis sperat mens provida signis.
860 Nam quis nunc tantis obsistere viribus ausit ?
861 Ipsi Asiam infidi properent nisi dedere Turcae,
862 undabunt subito madefacti sanguine campi,
863 omniaque injecti flagrabunt oppida flammis.
864 Sed tamen immensum miseris terraque, marique
865 instar iter : tranandi amnes : superandus Amanus :
866 expugnandae artes : bellum cum gente gerendum
867 infesta et numquam quae fessa laboribus ullis,
868 abstulit, invicti quaecumque habuere Quirites.
869 Haec ille atque alii pagos et compita circum
870 dum jactant eadem secum repetuntque, vicissim,
871 ipsae etiam inter se nuptae, inuuptaeque puellae
872 et fractae longa jamdudum aetate parentes
873 templa adeunt, reditumque suis et laeta precantur
874 eventa, ac multis onerant altaria donis.
875 Post autem coram aggressae natosque, virosque,
876 quaeque suum, tristi discedere voce queruntur.
877 Nate meae quondam spes magna et sola senectae,
878 ecquis praeterea miseram solabitur ? Ecquis
879 ipse suis manibus morienti lumina claudet ?

880 Tu tamen incolumis (precibus Deus annuat aequis)
 881 cum Solymam ingressus positas veneraberis aras,
 882 atque animo supplex sancto advolvere Sepulchro,
 883 nate, patris (si justa peto) matrisque memento."
 884 Haec illa. At conjux juvenem complexa maritum
 885 si qua tenet, mediis interserit oscula verbis,
 886 inque sinum lacrimas fundens affatur euntem.
 887 "Nam cur me miseram, desolatamque relinquis ?
 888 Cur cupidam tecum non advehis ? Ipsa laborem
 889 ferre viae, saevosque aestus et frigora possum.
 890 Nil grave, quod tecum patiar, mihi cesserit umquam ;
 891 sim modo juncta comes lateri ; sim debita lecti
 892 pars et cura tui : te sarcina fida levabo :
 893 te sequar et pro te saevis mea pectora telis
 894 opponam, quotiens inimica in castra fereris."
 895 At proceres, jamdudum armis, rebusque paratis
 896 quisque suis, postquam sacris de more litarunt,
 897 unanimes movere loco fulgentia signis
 898 agmina et instructas ad sancta incoepta cohortes.

LIBER TERTIUS

S_3 v.1 Fama per Hesperias cum primum diditur urbes,
 2 finibus e patriis facto simul agmine Gallos
 3 exire unanimes, dulcesque relinquere sedes :
 4 Ausoniae passim populi, gentesque Sicanae
 5 conjurant : stimulisque acuunt haud mollibus iras :
 6 nec jam ferre queunt Italos tam fortibus ausis
 7 dissimiles pigro nimium torpere veterno ;
 8 nec celeri ad laudem cursu praevertere quemquam,
 9 oblitos decoris patrii et virtutis avitae.
 10 Convenere igitur, quibus haud aversa voluntas
 11 bellandi atque alio vitam sub Sole trahendi.
 12 Protinus innumero completur milite tellus
 13 Appula ; non illos piscosi compita Bari,
 14 non pagi ingentes capiunt, non oppida quondam
 15 nominibus celebrata suis, notissima fama :
 16 Netion et Latii bustum lacrimabile Cannae.
 17 Non Cilicis fecunda croci, fecunda ferarum
 18 venatrix Celia et Canusi spatiosa vetusti
 19 moenia, quae rapida praeterfluit Aufidus unda :
 20 non, quae ductorem Lybicum florentis amore
 21 virginis urbs potuit victum mollire, sed omnes
 22 impediuntur agri : praesens ut cuique facultas
 23 se dabat hospitiis et ubique incondita pubes
 24 pernoctat, pedibusque terit conferta viarum
 25 strata, nec hiberni terretur frigore caeli.
 26 Quam jussi monitu postquam praeconis in unum

27 convenisse licum vidit rex Daunius et se
 28 altius exstructa sublimem in sede locavit,
 29 alloquitur mittens generoso e pectore vocem.
 30 "Non equidem, o Italum flos, o delecta juvenus
 31 Ausoniae, veterum sanguis redivive parentum,
 32 quorum olim virtus gentes invicta subegit
 33 quascumque Oceanus refluentibus alluit undis
 34 et Sol e medio circumspicit aureus orbe,
 35 ut vos ad tanti praesens decus hortet honoris,
 36 grandiaque ingentis succedam ad praemia coepti,
 37 nunc primum affari institui ; sed ut omnibus una
 38 laetitiis aucti Divumque, hominumque parenti
 39 suppliciter grates (nam res ita poscit) agamus :
 40 sublatis quod regum odiis radicatus omnis
 41 Europa in nostri conjuret nominis hostes.
 42 Ipsaque, quae quondam misere converterat in se,
 43 Abdaridis tandem decreverit arma tyrannis
 44 inferre et Solymae sacrata ad moenia tutum
 45 reddere iter, colloque piae juga demere gentis,
 46 serva Palaestini quae nunc Jordanis ad undam
 47 flens sedet atque aditu longe prohibetur ad aedem
 48 servantem sancti monumentum insigne Sepulchri :
 49 hic ubi Rex terrae, caelique aeterna potestas,
 50 postquam illum gens dira trabi suffixit acernae,
 51 occidit exstinctus, rediitque ad lumina vitae,
 52 morte triumphata Christus Deus. Atque ubi grates
 53 egerimus, factumque satis caelestibus aris
 54 jam fuerit, tum carpere iter, conscendere naves,
 55 aequoraque Ionii transmitters caerulea ponti
 56 cura sit et nostros illuc contendere cursus,
 57 quo commota suis jamdudum a sedibus omnis
 58 Gallorum pubes, unaque Britannia florens
 59 innumeris equitum turmis, peditumque maniplis
 60 pergat et emensa est properans Rhenumque, Mosamque,
 61 eversura Arabes Solymorum a sede tyrannos
 62 scilicet aut vitam tantis positura sub ausis.
 63 Quod decus, o socii, quis jam non credat emendum
 64 vel vita, quaecumque sibi peragenda supersit ?
 65 Ipse ego, cui tantum paret terraeque, marisque,
 66 cui non argenti, non auri copia deficit,
 67 quique adeo, si totam optem traducere vitam
 68 delicias inter cunctas atque otia, possim
 69 secura cum pace frui, tolerare labores
 70 et varios belli casus, cupioque, voloque
 71 ire viam primus, patriosque relinquere fines
 72 atque omnes mecum, genitor quascumque reliquit,
 73 vestrave jam peperit virtus mihi, ferre per undas
 74 Ionias, mediosque hostes, quas partiar in vos
 75 largus opes, superetque nihil, quod commodus ultro,
 76 quo res cumque cadent, unum et commune mihi que,
 77 et vobis haud esse velim. Non nunc ego primum
 78 o socii, vos in belli discrimina duco,
 79 externasque oras, inimicaque castra volentes.
 80 Vos patris auspiciis mersistis in aequore classes
 81 Euganeas, Graiosque acie fudistis adorti.
 82 Tempore quo vestras, vestra est ea gloria, Thraces,

83 altaque Byzanti trepido concussa tumultu
84 moenia terribiles iras timuere, manusque.
85 Vos iidem me saepe alias comitemque, ducemque
86 in pugnas, acresque hostes, flammasque secuti,
87 prostravistis humi turres, coepistis et arces,
88 ducentes vico claros ex oste triumphos.
89 Nec praedae quisquam immunis discessit et expers,
90 me praeter : quem nemo umquam tamen abneget ullas
91 sustinuisse vices, durosque obiisse labores,
92 vobiscumque sitim pariter tolerasse, famemque,
93 horrida sub dio perpressum frigora et aestus.
94 Quamquam regna manent illic opulenta, nec usquam
95 et vis major opum et multarum copia rerum
96 argenti cumulos plures promittit et auri :
97 quaerere quos nobis solita virtute queamus.
98 Atque haec ipsa a me minime memorata putetis,
99 quod dubitem vestros ne animos inflammet ad arma
100 gloria bellandi magis, an vesanus habendi
101 cogat amor ; neque enim Ausoniam fas credere pubem
102 et decus et laudem diti postponere praeda.
103 Non ita nos proavi quondam docuere, patresque
104 assueti duro longinqua lacescere bello
105 imperia et certas victis imponere leges ;
106 ut famam, nomenque sibi immortale pararent.
107 Quod vos facturos si avis tamen abneget, idem
108 abneget Ausoniis vos esse a patribus ortos :
109 et me Gallorum prognatum a sanguine regum,
110 quos pietas insignis et admiranda coegit
111 gloria militiae semper comes, omnia vitae
112 commoda jucundae penitus contemnere et unam
113 se spectare animis et nobile sumere bellum :
114 quo neque nos majus, neque post ulla audiet aetas."
115 Talibus orantem dictis nihil addere miles
116 passus ad haec. " Uni tibi, Rex invicte, videndum,
117 quid statuas : nobis certum est parere jubenti.
118 Nam neque tam longe tellus disjungitur ulla
119 finibus a nostris, neque gens tam barbara mores
120 exuit humanos, quo te fortissime ductor
121 paeniteat, pigeatve sequi sic annuat ausis
122 ille tuis, qui stelliferum fabricavit Olympum
123 et coeptum fortunet iter ; nos agmine certo
124 venimus instructi, rebusque ad cuncta paratis,
125 militiae jam nunc nomen cuicumque daturi
126 et vitam in cunctos alacres exponere casus,
127 ac nullas vitare vices." Sic deinde locutus
128 et verbis iisdem atque assensu exercitus uno,
129 conticuit, subitoque ingens per cuncta cucurrit
130 ora fremor : ceu cum pluviis furialibus aucti
131 inter saxa ruunt amnes et in arva feruntur
132 praecipites, placido sueti sua lambere fluxu
133 septa prius, tenuique vado discludere ripas.
134 At Robertiades dictis laetatus amicis
135 subjicit. "O, decora Italiae, fortissima nostrae
136 pectora militiae, non his sine numine Divum
137 addixisse animum coeptis reor, omnia quamquam
138 ante alacri semper studio, quae jussimus, ipsi

139 praestare in primis, confectaque reddere suestis,
140 quando igitur vestro haec animo sententia sedit
141 et mecum Adriaci juvat ire per aequoris undas,
142 finibus inque Asiae bello nova quaerere regna,
143 servitio Syriam longo, Solymamque levantes,
144 quod superest, curate aliquo ne crimine mentes
145 infectos videat Vesper vos crastinus et jam
146 quisque sacerdoti supplex aperire paret se.
147 Ut maculas, animo si quae insedere latentes,
148 eluat, inque hostes Arabas pius induat (arma)
149 et pius, ut primum puppi vocalis ab alta
150 aere cavo signum dederit tuba, protinus actam
151 velisque et remis properet conscendere classem,
152 cessuram e portu mediae post tempora noctis,
153 a terra exoriens ventus cum pellere fluctus
154 incipit et puppes urget levis aura Favoni.
155 Ite, bonos aurate animos, humilique precati
156 voce Deum, quales cupere et sperare futuros
157 nos decet, eventus tantis exposcite coeptis."
158 Dixerat atque illi foribus per templa reclusis
159 affusi passim proprias, facta impia, noxas
160 auribus exponunt castis et ad illa paratis
161 officia et veniam culparum ex more petitam
162 nacti omnes, primam cum primum postera lucem
163 extulit et terris Aurora affulsit apertis,
164 Caelestem sumpserunt dapem : gratique, piique
165 inter se amplexus dulces et amica dederunt
166 oscula ; postremo transacti expleta diei
167 perpetuis passim mensis jejuna cupido est.
168 At cum pulsa fames, largeque epulata juvenus,
169 sublataeque dapes : hi jam sermone quietos,
170 oblectare animos : illi contendere cursu ;
171 ast alii dura membra exercere palaestra :
172 flectere equos, vibrare hastas, manibusque minaces,
173 explorare arcus, jaculisque attingere signum,
174 certatim granis librare per aera vectis.
175 Pondera et ingentes saltu transmittere fossa.
176 Urius interea, quo non praestantior alter
177 praesagire auras, qua caeli parte ferantur,
178 quae mare sollicitent, quibus et commota quiescant
179 aequora : quaeque dies portendant certa serenos
180 sidera, seu pluvias terris, imbresque minentur :
181 Urius Aeolii soboles generosa Pelori,
182 puppe gubernator residens ita fatur ab alta.
183 "Quem votis optare licet, rex optime, ventus
184 en vocat Ionias classem festinus in undas.
185 Surge, age, tolle moras, naves exercitus intret
186 omnis, ut in celerem quam primum ad saxa vadosae
187 Illyriae tendat cursum, subeatque sonantis
188 ostia Drilonis, procurvaque litora Lissi :
189 portus ubi et tutae miles se credat harenae."
190 Haec ille et regis jussu cava buccina Dauni
191 imperat ad littus properare et scandere naves
192 et laxos implere foros ; tum protinus omnes
193 ad sua signa ruunt et scalas agmine complent.
194 Ceu cum longinqua terrarum a parte volantes

195 advenere greges avium, densaque caterva
 196 ingentes campos subter telluris inumbrant.
 197 Mox medio e pastu quercusque, ornosque propinqua
 198 certatim obsidunt silvae : variisque teguntur
 199 arboribus ; pressi curvantur pondere rami
 200 et nemus ingenti circum sonat omne tumultu,
 201 compositae donec somno suadent requietem.
 202 Et jam nox medium cursu superaverat orbem,
 203 frigentesque imis flabant e vallibus aerae :
 204 Urius in summa residens cum puppe magister
 205 dat signum, solvique jubet retinacula classi.
 206 Ilicet una omnes portu cessere relicto.
 207 Quaque adeo sublatae alte fert regia flammam
 208 puppis et Ionium rostro secant uncta profundum,
 209 remigiis actae tendunt : mox carbasus auras
 210 excipit, ac Zephyris implentur vela secundis,
 211 spumeaque inflexas circumstrepit unda carinas.
 212 Et jam purpureo crines infecta colore
 213 aurora exoriens noctis restrinxerat ignes.
 214 Cum procul aërios montes Epirus et arduas
 215 ostendit Macedum positas in collibus arces.
 216 Illae iter incoeptum paragunt, urbemque salutant
 217 Dyrrachium et litus sublatae ad sidera voces
 218 dum feriunt, vastae responsant undique rupes.
 219 Nulla tamen contra solito de more dabantur
 220 laetitiae signa unanimis, quae Daunius heros
 221 mirantur, causasque suo cum corde volutat :
 222 atque animum dubius nunc huc, nunc dividit illuc
 223 quid faciat ? Rectone petat Taulantia cursu
 224 litora ? An in dexteris proram detorqueat undas ?
 225 Haec alternanti celeri praemissa phaselo
 226 nuntia fama refert : obsessum iter omne, nec ullum
 227 fraude carere locum : conjectum in vincula magnum
 228 Ugontem et longe Byzantii ad moenia ductum.
 229 Qui modo Brundisii multis comitantibus urbem
 230 liquerat et fidis navem commiserat Euris,
 231 primus ut Emathiam, Thracem emensus adiret
 232 Bosphoron Euxini fauces et ad ostia Ponti :
 233 ipse suis opibus praesens muniret euntes
 234 in bellum et Solymae pro libertate pacisci
 235 audentes letum, tranquillaque commoda vitae.
 236 Nuntius haec ; sed enim cursum remorata triremis
 237 constitit : et reliquas ad se vocat Appulus heros,
 238 atque ait : "Haud equidem, o socii, cum tanta viderem
 239 agmina convenisse virum, quos una coegit
 240 religio et pietatis amor, fore rebar, ut essent
 241 vitandae insidiae Graiorum, artesque cavendae,
 242 nimirum servare fidem mens improba nescit.
 243 Ergo urbem hanc infandam imo stat vertere fundo
 244 atque omnem ferro. Flammisque excindere gentem
 245 in nostros tantum sceleris tam turpiter ausam."
 246 Haec dicens, vultu conceptas detegit iras :
 247 atque huc atque illuc ardentia lumina volvit
 248 et puppi tacitus tandem consedit in alta.
 249 Tum Mentor, quem certa fides, expertaque bello
 250 dextera et innumeris annis non victa senectus

251 ante omnes gratum Regi jam fecerat unum,
 252 "Digna quidem sceleris facies, quam vindice ferro
 253 ulciscamur, ait ; nec, si tibi protinus urbem
 254 aut capere, aut cinctam longa obsidione liceret
 255 urgere et bello ingenti vastare, fameque,
 256 conatus, dux magne, tuos, queis scilicet usus
 257 abrumpas vincla et captum tuearis amicum,
 258 damnarim ; sed enim tempus nunc instat eundi,
 259 quo nos Pontifici nuper data dextra, fidesque
 260 voce vocat : quoque exspectant multo ante profecti
 261 Germani, Gallique et fortia corda Britanni.
 262 Ut minor hoc uno nobis stet gloria ; quando
 263 et decus et laudem quaevis mora turpis aventi
 264 quaerere et insigni frontem vincire corona,
 265 adde quod Euxinum spatio propiore tenentes
 266 exercere iras facile et terrere tyrannum
 267 fas erit Odrysium, per vimque reposcere captos.
 268 Nec tamen interea frater certissimus ultor
 269 non aderit, multo repetat qui sanguine poenas,
 270 servitioque premat populos." Haec ille locutus
 271 conticuit ; tristisque animos, iramque repressit
 272 Daunius. "Et longe scelerato a litore classis
 273 omnis eat jam nostra", inquit ; primusque triremem
 274 remigio impulsam medios convertit in Austros
 275 et properans Zephyris objectam Aulona relinquit
 276 a laeva et gelidi transit celer ora Celydni,
 277 Chaoniamque omnem : mox exsecratus acerbam
 278 Cassiopem, celsas Phaeacum in collibus arces
 279 circuit et bimarem cursu defertur ad Isthmum.
 280 Hic tanti excitus fama et molimine belli,
 281 obvius occurrit Medix. Ille unus Athenis
 282 Cecropidum populo legesque et jura ferebat,
 283 aut bello foret, aut tranquilla in pace regendus.
 284 Et, quamquam Graiis longe regnaret in oris
 285 liber, avos, atavosque tamen generosus abusque
 286 Tuscorum antiqua numerabat origine regum,
 287 qui quondam ex Osco ducentes nomine nomen
 288 magnanimae fecere suae cognomina genti.
 289 Unde etiam seri virtutem hausisse nepotes
 290 et patriam dicti juvisse ingentibus ausis.
 291 Barbarus at postquam Scythicis in finibus ortus
 292 Italia in media regnorum est sceptra potitus,
 293 et simul infracta est Tyrrhena potentia, partim
 294 discessere suis paulatim ex urbibus acti,
 295 aériasque altis posuere in collibus arces :
 296 partim etiam varios casus et bella secutis
 297 ad regnum patefecit iter durissima virtus ;
 298 et pedibus Graios, pedibus subiecit Athenas.
 299 Hic igitur Medix Tyrrheno a sanguine cretus
 300 laetus adit Regem : qui primam egressus in actam
 301 forte recensebat numerum : vultusque suorum
 302 et quae cuique foret facies, vel forma, vel aetas,
 303 discebat ; memorique animo mandata notabat
 304 nominaque et patrias senior quem talia agentem
 305 alloquitur Medix. "Ego me, fortissime ductor,
 306 invisam rebar Superis traducere vitam :

307 qui te militiae redivivum exemplar avitae
 308 affari et coram dextrae conjungere dextram
 309 non possem Italiae longe disclusus ab ora.
 310 Quando etiam mentem juvenili accensus amore
 311 et magni admirans ingentia facta parentis
 312 ipse tui, patriae fines, camposque reliqui,
 313 despicit ex alto quos undique Faesula colle ;
 314 Vulturnique volens accessi ad fluminis undam.
 315 Innumeras tum dirus Arabs vastaverat oras
 316 Ausoniae et Capuam longa obsidione premebat.
 317 Ac, nisi opem afferret genitor tuus, ilicet urbis
 318 illius exstaret nunc tantum informe sepulchrum.
 319 Ipse illam solus longa obsidione levavit :
 320 atque acie victos a moenibus expulit Afros.
 321 Non ita sublimi defertur ab aethere praeceps
 322 fulmen agens nimbum, scopulosque et saepta domorum
 323 eruit et subita miscet collapsa ruina.
 324 Vidi ego in adversos armato milite saeptum
 325 irruere et densas ferro perfringere turmas :
 326 Poenorumque ducem medium differre securi
 327 Dogrissam, triplici pectus cui texerat aere
 328 et fronti galeam aptarat Maurusia nutrix
 329 carminibus sacram magicis et sidere certo
 330 confectam, ut ferri cunctos contemneret ictus.
 331 Sed neque verborum murmur, neque profuit astri
 332 observata dies ; caput illi utrimque pependit
 333 in geminas scissum scissa cum casside partes.
 334 Vidi equites, peditesque una cum mitteret Orco,
 335 cogeret et nostris Arabum dare terga phalanges.
 336 Quam facile aut Boreae flatus, si vertice ab alto
 337 incubuit segeti, fragiles infregit aristas,
 338 arentesve sua decussit ab arbore frondes
 339 Auster et impulsas ad litora pertulit undas.
 340 Ille etiam postquam caesorum vidit acervos
 341 spectator cujusque operum, testisque laborum,
 342 et serus rediit spoliis indutus opimis,
 343 ornavit coram virtutem atque acta suorum
 344 laudibus et merito cunctos dignatus honore est.
 345 Et mihi, qui densos urgentem in bella maniplos,
 346 cogentemque fugae versas dare terga cohortes
 347 comminus aggressus immani corpore Maurum
 348 ense trucidaram, ferratae pondera clavae
 349 detulit ipse suae, bellique insigne decorum
 350 ferre dedit clypeo, Mauri caput ora nigrantis,
 351 candida circumdat summam cui taenia frontem.
 352 Ille Diochryso, cui mollis inertia Thracum
 353 imperium abstulerat, reditumque atque arma paranti
 354 adjunxit comitem ; mox rerum eventa secutum,
 355 (namque Arabes crebris Graias incursibus oras
 356 vastabant) omnis praefecit Achaia bello ;
 357 armorumque unum jussit, pacisque potentem
 358 esse et opes, patriosque manu defendere fines.
 359 Et nunc, ni gravior tardaret membra senectus :
 360 si foret illud idem defesso in corpore robur,
 361 quod fuerat, cum acres animos, viresque juvena
 362 prima dabat, ceu fixa eadem stat corde voluntas,

363 ipse ego te Graiaie lecto cum robore pubis
364 primus ad ingentem Syriae comitarer Orontem :
365 et tibi praecipuum factis testarer amorem.
366 Quod quoniam fieri prohibet jam serior aetas,
367 hic tecum florens annis juvenilibus ibit,
368 quo te cumque ferēs, gnatus meus ; una parentis
369 spes et cura sui, patrio cognomine Medix :
370 ibit, ut admirans unum te maxime ductor,
371 militiam et claros magnae virtutis honores,
372 praemia suscepti laetus putet esse laboris,
373 saeva manu confecta tua cum bella videbit."
374 Dixerat : et regi centum candore nivali
375 donat equos, numero ex omni quos legerat et quos
376 hinc atque hinc phalerae et demissa monilia collo
377 ornabant, strato intectos pugnantis ad usum ;
378 ferrea cui spondam lorica utramque tegebat
379 surgentem, primamque alvum, lumbosque tuentem
380 sessoris firmum in pugna tutamen equestri.
381 Munera mox socios large partitur in omnes :
382 vina cadis onerata suis, quae plurima Naxo
383 jusserat afferri jampridem : ea deinde sequuntur
384 depulsae dudum in montes a matribus agnae,
385 indigenaeque boves et prima aetate juveni.
386 At Robertiades tanti hospitis interventu
387 laetatus, pauca haec placido sic pectore fatur.
388 "Ipse meum memini, dux o fortissime gentis
389 Tyrrhenae, invictam virtutem et facta parentem
390 narrare et veras ad caelum tollere laudes
391 Medicis Etrusci (namque hoc mihi saepe per aures
392 nomen iit, magnique animo defixa remansit
393 fama viri, cui nulla umquam se viderit aetas
394 ferre parem, aut bello claros aequare labores)
395 Medicis, absentem tacita quem mente colebam
396 absens et magno mecum venerabar amore,
397 quod solum licuit : neque enim fuit hoc mihi tempus
398 sperandum, quo te veterem complexus amicum
399 hospitii possem jura instaurare paterni.
400 Nunc autem quando votis prosperrima nostris
401 fors inopia fauci, Caelique occulta voluntas,
402 accipio, agnoscoque libens, certumque vetustae
403 pignus amicitiae nostro comes usque futurus
404 haerebit lateri natus tuus ; illius ingens
405 cura animum semper Dauni ductoris habebit."
406 Haec ubi dicta, epulis una accubere paratis :
407 atque inter sese longo sermone requirunt,
408 quae via Threiciam brevior contendat ad urbem :
409 si qua loca infestis ; si quas devinxerit arces
410 praesidiis : si quos aditus Byzantius armis
411 insideat ; Ponti prohibens a limine Gallos.
412 Quae postquam ducibus satis explorata, superque
413 ostendere palam compendia tuta viarum ;
414 jamque exempta fames et amor compressus edendi est,
415 aere dari signum jubet ipse et castra moveri.
416 Incedunt armatae acies, nec ab ordine quisquam
417 liber abit, sociosque suos et signa relinquit :
418 pars equitum anteeunt agmen : pars terga tuentur,

419 injusto sub fasce viam dum carpere miles
 420 festinat, gressumque una maturat eundo.
 421 Primum illi Boeotum agros, vallesque, lacusque
 422 praetereunt Oncheste tuos, longeque relinqui
 423 Parnassi juga summa vident ; mox Othrin et Oetam,
 424 Sperchiumque amnem, magni cunabula Achillis,
 425 frondosumque caput celsi mirantur Olympi.
 426 Tum vada Penei, celeresque Haliacmonis undas,
 427 Emathiaeque Italo fecundos sanguine campos :
 428 et quos Mygdonius spatioso flumine colles
 429 ambit et affusa laetissimus irrigat unda
 430 Axius, Aegaeum dum se devolvit in aequor.
 431 Tum demum Ausonius suspecta per oppida Thracum,
 432 perque agros facturum iter, exercitus omnis
 433 constitit obliquae declivi in margine ripae.
 434 Hic certatim omnes ducto circumdata vallo
 435 castra locant, somnosque petunt et corpora curant.
 436 At parte ex alia Gallorum interrita pubes
 437 praetergressa jugum, quo caelo aequatus Adula
 438 contegitur glacie, nivibusque perennibus horret,
 439 transierat : nec Vindelici, quos dextra securi
 440 armat Amazonia, nec proni ad furta Genauni,
 441 nec rapti celeres assueti vivere Brenni,
 442 per saltus, vallesque imas potuere morari
 443 incedentem aciem, dum tela opponere quaerunt,
 444 ulteriorem Oeni juncto ne flumine ripam
 445 ascendat victrix et Norica regna peragret.
 446 Illa igitur Cetii superans altissima montis
 447 culmina labentem divortia liquit aquarum :
 448 et gressum in Chalybum rutilis tulit inde metallis
 449 insignes agros, Istri quos fluminis alveum
 450 augentes Saus hinc, unda Draus alluit illinc.
 451 Atque ubi Pannoniae fines et limina primum
 452 ingressi tetigere duces, castrisque locatis
 453 corpora praeterito requierunt fessa labore :
 454 ecce vident ad se properantem et membra trementem,
 455 fundentemque imo trepidas e pectore voces,
 456 velitis os, habitumque et velitis arma gerentem.
 457 Isque, ubi confertas acies ante ora ducumque
 458 constitit atque armis saeptum se vidit amicis,
 459 talia deposita tandem formidine fatur.
 460 "Si patrios postquam fines liquistis et agros
 461 ulla umquam vestrae tetigit vos cura salutis,
 462 vertite iter retro, sedesque revisite avitas,
 463 o, miseri, et terris procul his, procul ite relictis,
 464 dum licet atque fugam raptim celerare potestis
 465 incolumes ; vel si dictis parere negatis
 466 et pudet emensos Alpes atque invia terrae,
 467 insolito trepidare metu, statuatis oportet
 468 omnibus esse unam per cladem et vulnera mortem
 469 sperandam et passim confusa strage cadendum."
 470 His dictis perculsi animi, tacitumque per agmen
 471 murmur iit, cupidique inter se quaerere pergunt
 472 quid ferat et tantum quid fama adversa reportet.
 473 Tum vero juvenem fidenti interritus ore
 474 voce vocat dux Leucorum cinctumque corona

475 primorum et cunctis patulas praebentibus aures,
 476 alloquitur. "Tunc hos animos, haec robora sacra
 477 militiae solus tantis avertere coeptis
 478 tendis ? Et instanti pressus formidine, Gallos
 479 exterrere audes ? Non haec sunt pectora turpi,
 480 non haec corda fuga sibi quaerere sueta salutem :
 481 ast aperire viam ferro, mediosque per hostes
 482 aut vitam retinere, aut pulchrae occumbere morti.
 483 Sed tu quis tandem ? Quibus aut festinus ab oris
 484 venisti ? Et quae nos vitare pericula suades ?
 485 Fare, age et audacter, quae sint ea cumque, volentes
 486 cuncta doce ; neque enim quisquam re vera locutum
 487 non amet : et merito gratus non munere donet."
 488 Ille autem. "O, utinam factae tibi nuntius essem
 489 et nondum celebris fama vanissimus auctor.
 490 Sed quid ego haec ? Si mox tantos ex ordine casus
 491 narrabunt alii, qui foedam evadere cladem
 492 incolumes potuere : licet vix unus et alter
 493 Paeonis insidias regis vitarit et arma.
 494 At tibi, quicquid id est, breviter, dux maxime, pandam :
 495 nec te ullae ambages, nec longa exorsa tenebunt.
 496 Concilio in medio postquam regumque, ducumque
 497 omnis in Abdaridas decrevit Gallia bellum
 498 extemptura jugum Solymis, quod pertulit annos
 499 jamdudum innumeros Syriae sanctissima tellus :
 500 continuo nostras fama est vulgata per urbes :
 501 extemploque accensi animi, concursus et ingens
 502 undique et inter se commota per oppida vulgo
 503 dant dextras ; sua quisque domi, quae repperit arma
 504 et scabra exesos rubigine corripit enses,
 505 deformesque situ clypeos ; sibi regna, suisque
 506 argenti atque auri magnos promittere montes.
 507 Proinde avidi coeunt non una e gente, nec uno
 508 e populo : sed tota simul sine more, sine ulla
 509 lege ruens raptu properat Germania signis.
 510 Postquam autem turmaeque equitum, peditumque catervae
 511 convenere simul, nec qui moderetur euntes
 512 esse vident quemquam, nec qui tot millia certa
 513 lege regat, poenasque nocentibus irroget aequas :
 514 cunctantum dubias Amycus temerarius annis
 515 et pietate ingens Odechalchius occupat aures.
 516 Ille genus ducens altorum a sanguine regum,
 517 cui Nemetum fines, rapido cui flumine Maenus,
 518 cumque Mocontiaci parebat Bonna, vetusque
 519 Naeomagnum et primos ultro tribuebat honores.
 520 Alter, thuricremas Divum qui castus ad aras
 521 sacra ministrabat populo, verbisque regebat
 522 suavidicis animos, plebemque in templa vocabat,
 523 ortus et ipse patrum praeclara a stirpe suorum.
 524 Isque ubi distractos reperit, ceu cuique cupido
 525 imperat effrenis. "Quo nunc Germana juvenus
 526 inconsulta ruis ? Quo te tam turbidus, inquit,
 527 ardor agit ? Certique parens audacia leti ?"
 528 Nam nec bella manu solum peraguntur et armis,
 529 nec solum vires victoria quaerit ; at acre
 530 consilium, certosque duces, qui ponere capto

531 castra loco, qui firmam aciem, cum postulat usus,
532 instruere et tuti vitare pericula norint.
533 Seu differre diem pugnae, seu forte necesse est
534 praecipere moras omnes : qui praemia forti
535 digna ferat : qui communes tolerare labores
536 primus amet, praedaeque unus qui immunis abactae
537 ipse suos large socios et ditet et ornet."
538 Talia desierat fari, cum turba repente
539 scinditur in varias diverso examine partes.
540 Inde alias alii conferta per agmina voces
541 jactare et jussis partim parere recusant
542 atque iter effrenes longe praevertere tendunt
543 et quaecumque libet praedari, ac vivere raptio.
544 Partim se ducibus credunt et signa sequuntur
545 quisque sua et certos pergunt sociare maniplos.
546 Non secus atque arbor nunc his, nunc flatibus illis
547 Eurique, Zephyrique caput depressa recumbit
548 adversam in partem, nec robore fulta fatiscit
549 ipsa suo : sed utrimque labans, sed utrimque cadenti
550 assimilis, tamen una olim peritura ruina
551 cogitur hinc atque hinc parere procacibus Austris :
552 amittitque omnes divulso corpore ramos.
553 Sic illi, quorum multi tua castra secuti
554 Belga pater, cultos, quos irrigat Hippius, agros,
555 nec numero tenuere pares, nec vivida aequis.
556 Multi etiam Egerio, quem bello vivida virtus
557 clarat et illustrem nomen testatur avitum,
558 haesere et Dacos inter cecidere, Getasque.
559 At reliqui explentes numero centena virorum
560 millia, conjunctis inter se foedere dextris
561 addixere Amyco vires atque arma, fidemque.
562 Isque, ubi praefectum tanto se vidit honori
563 et jussis parere suis tot vivida pubis
564 pectora Germanae, non jam, ceu postulat usus
565 militiae (quid enim frustra retinere severis
566 legibus effusos in cuncta opprobria tentet ?)
567 Palantes revocat legionum ad signa maniplos,
568 aut injussa loco prohibet sua castra moveri.
569 Sed passim ingrediens pacata per arva feraces
570 depopulatur agros et caedibus oppida complet.
571 Praecipue Abramidum, quorum pars maxima pagos
572 Pannonios habet et vitam sustentat inermem
573 exul, inops, expes, cunctarumque indiga rerum.
574 Non nos aut sexu miserorum, aut ullius ulli
575 parcimus aetati : sed ceu foret hostia quisque
576 grata Deo in primis, nullo discrimine habetur
577 et juvenes, aegrosque senes dimittimus Orco.
578 Quin etiam turbam ingentem peditumque, equitumque,
579 Danubium forte ut medium tranaverat amnem
580 defensura suos infesto a milite fines,
581 fundimus et vita pulsos spoliamus et armis.
582 Mox etiam summis munitam moenibus urbem,
583 et circumfusas spectantem e colle paludes
584 aggredimur, factaque simul testudine muros
585 nudatus omni jam defensore subimus,
586 aequamusque solo atque aditus intramus apertos.

587 Ast olli in summam trepidi se protinus arcem
588 conjiciunt, notasque vias et tecta relinquunt.
589 Nos vero (nec ficta loqui me credite monstra,
590 sed vera et casu nimium testata recenti)
591 dum ruimus, nemoque obstat, quin urbe potiti
592 vastemusque aedes vacuas, capiamus et arcem
593 obsessam, quasi tela illinc inimica, facesque
594 ingruerent, contraque acies (.....) coiret,
595 diffugimus suadente metu : nec vertere quemquam
596 terga pudet : nec caenosa mandare paludi
597 corpus, ut incolumis fallacibus enatet undis.
598 Usque adeo subitus cunctorum invadere mentes
599 percussas potuit caeca formidine terror,
600 sive illum incussit nobis Deus aethere ab alto,
601 tantorum ut scelerum culpa meruere nefandae :
602 seu terror sibi quisque fuit, dum forte latentes
603 desertae insidias urbis, faciemque timeret.
604 Ut videre autem cedentem e moenibus hostem
605 Paeones, infensi summa effunduntur ab arce :
606 et ferro accincti nostrorum in terga feruntur,
607 vulneraque infigunt : partimque in stagna, lacusque
608 proturbant : partim exanimant angusta viarum.
609 Dumque alios alii, ceu si fuga sola salutis
610 spem daret et sumptis nemo sat fideret armis,
611 urgentes turpi properant praevertere cursu,
612 ecce superveniunt fulgentes aere catervae
613 et permixtus eques, quem Curta emisit ab urbe
614 Pannonius fallax : ut, si se forsitan ulla
615 offerret pugnae non insperata facultas,
616 sive acie instructa, confertoque agmine nostros,
617 seu praeda, spoliisque graves, somnove sepultos
618 caederet et victos ferro deleret ad unum.
619 Ergo illi primum versas videre cohortes
620 et fugere et veniam projectis turpiter armis
621 quaerere : nec quemquam memorem virtutis in hostem
622 irruere et clypeis armatum obvertere pectus,
623 a fronte invadunt, oriturque miserrima caedes.
624 Corporibus sternuntur agri ; fossaeque redundant
625 sanguine : purpureae labuntur in amnibus undae.
626 Ipse tamen delapsus equo, dum pugnat et unus
627 demetit affusos Amycus, prosternitur ictu
628 ingentis saxi : quo cassis aenea circum
629 spargitur effracto non una e parte cerebro.
630 Ipse etiam medios inter jugulatus inermes
631 concidit : atque animam in tenues Odechalchius auras
632 fudit, communi solvens pro crimine poenas.
633 Accepta dum forte fide perjuriam gentis
634 nil timet et fidem demens sibi credit amicos,
635 quos insperantes toties data dextera laesit.
636 Ergo illum non canities, non infula texit
637 labentem atque imo fundentem haec pectore verba.
638 At vos pro scelere hoc tanto, pro tristibus ausis
639 evertat miseros Deus ultor et impia mittat
640 sub juga, qui nostro foedastis sanguine terram,
641 inque fidem acceptos leto mulctastis iniquo."
642 Haec memorans una lumen cum voce reliquit.

643 "Nec sum animi dubius, quin jam silvisque, jugisque
 644 insideant, tutique parent, quacumque putarint
 645 ingressuram aciem, Gallorum invadere castra
 646 haec sunt, quae mea vox potuit tibi maxime ductor
 647 narrare et brevibus properans exponere verbis."
 648 His dictis : corde insuetam coepere dolorem
 649 heroes, primique duces ; tam multa virorum
 650 agmina, tamque acres juvenum periisse phalanges :
 651 quorum animis, armisque olim comitantibus usi
 652 dejicerent saevos Solymorum e sede tyrannos.
 653 Continuo furere unanimes : exposcere poenas
 654 commissi sceleris, ferroque, ignique juventus
 655 vastandos agros, viduandas civibus urbes,
 656 clamat et hostili caedem jam caede piandam :
 657 acceptumque uno sanandum vulnere vulnus.
 658 Ast alii, quorum menti sententia sedit
 659 tutior, ultrices iras non temporis hujus,
 660 non fidei, votique ferunt, quo Gallia summo
 661 Pontifici voluit certas astringere dextras.
 662 Posse iter incoeptum Calapique, Saoque relictis,
 663 Illyriae ad fines et saxa Liburnica flecti :
 664 perque agros Macedum dextro Byzantia cursu
 665 arva peti ; posse Ausoniis in Doride castris
 666 Conjungi et vires Gallorum viribus addi ;
 667 Gallorum, quos Adriaci maris aequor et undas
 668 Ionias tranasse ferunt, montesque per altos
 669 Epiri incolumes Hebrum contendere ad amnem.
 670 Hic quamvis mentem casu concussus acerbo est
 671 Goffredus, letuque datos miseratus amicos,
 672 spem simulat vultu tamen atque interritus audit
 673 consilia antiqua veterum certantia laudi,
 674 laetaturque omnes animis ardere paratis
 675 ulcisci socios, perjuram exscindere gentem
 676 funditus et campos caesorum insternere acervis.
 677 Sustulit ergo oculos, imoque a pectore dulces
 678 expromens voces, placido est sic ore locutus.
 679 "O socii, quos una omnes, eademque voluntas
 680 impulit unanimes patria discedere terra,
 681 uxoresque domi, dulcesque relinquere natos,
 682 aut secum avectos per mille pericula rerum
 683 asportare gravis solacia blanda laboris,
 684 ut Solymam, Syriamque jugo eripiamus iniquo,
 685 acceptumque Deo statuamus in orbe trophaeum,
 686 quo neque nos majus, neque postera viderit aetas.
 687 Vos mecum emensi Rhenumque, Albimque per urbes
 688 innocui fecistis iter ; perque arva : nec usquam
 689 ullus adhuc praedam a vobis conquestus abactam est,
 690 aut actum secum quicquam vi vidit ab ullo.
 691 Qui potius, quas vestra sibi clementia gratas
 692 jure suo sperare vices et poscere visa est,
 693 repperit et blandis, vosmet meminisse potestis,
 694 hospitium, opibusque suis juvisse vocantes,
 695 praebentesque ultro plenis convivia mensis.
 696 Et jam Pannoniis tuti consedimus arvis,
 697 perventuri ulla sine caede et sanguine, quo nos
 698 vota vocant solvenda Deo, quae fecimus ipsi.

699 Quod si forte viam quisquam dare nolit amicis,
 700 perque suos fines opponat euntibus arma,
 701 tum Gallorum animos et justas sentiat iras.
 702 Interea qui morte graves persolvere poenas
 703 flagitiis meruere suis, hominesque, Deumque
 704 laeserunt graviter non uno crimine sontes,
 705 scilicet ut merito caesos linquamus inultos ;
 706 cumque illis etiam reliquos, qui talia posthac
 707 committent, scelerum nihil impia facta verentes.
 708 Sed quoniam damnari aliquem, qui dicere causam
 709 ante suam nequeat, turpe est, mittamus, oportet
 710 ad regem certos ; qui factam exquirere caedem
 711 possint et justum populis indicere bellum ;
 712 aut certae inter nos componere foedera pacis.
 713 Virtutem sic nostram umquam nulla arguet aetas.
 714 Justitiae Deus atque hominum mens aequa favebit."
 715 Dixerat et Stephanum, cujus facundus ab ore
 716 verborum sonus Hyblaeo vel melle fluebat
 717 dulcior, heroum ex numero selegit et ipsum
 718 addidit Aulercae pubis regemque, ducemque,
 719 qui sua Pannonio referant mandata tyranno
 720 et causam factae cogant evolvere caedis.
 721 "Dicite, ait, Regi Gallos in utrumque paratos,
 722 vel scelus ulcisci ferro, vel foedere dextras
 723 jungere, si populos justas dolor egit in iras.
 724 Nos vero interea positis considerare castris ;
 725 et spectare procul quo se sententia flectat
 726 illius et pacem a nobis sibi malit, an arma.
 727 Nec tamen, o socii reticenda injuria et ollis
 728 fidendum semel infestis ea certa salutis
 729 sit vis, quam sumptis positam speremus in armis.
 730 Ite igitur, vigilesque aditus servare patentis
 731 undique : et excubias castrorum indicite portis :
 732 ut vos sive palam invadant, sive abdita belli
 733 furta parent, tuti fossa et munimine valli,
 734 aut etiam instructo, si res sinat, agmine fraudes,
 735 incursusque omnes et vim infregisse queamus."
 736 His illi auditis, antiquae ad regia Curtae
 737 tecta iter arripiunt celeres : cursuque perenni
 738 transmittunt campos, spumosaque flumina tranant.

LIBER QUARTUS

S_4 v.1 Dumque ea consessu in medio fortissimus heros
 2 commemorat, fidus caelesti ex ordine custos
 3 unus, qui nutu Patris omnipotentis Olympi
 4 additus, imperium Turcarum atque arma tuetur,
 5 intendens oculos caelo prospexit ab alto
 6 Europae ferro instructos e sedibus omnes

7 jam populos exisse suis, jamque arva teneri
 8 Pannoniae et Scythicos compleri milite campos
 9 externo et totum proscindi classibus aequor :
 10 atque Asiae regnis immanem insurgere molem
 11 bellorum : fortesque peti tanto agmine Turcas.
 12 Haec igitur secum dubio dum pectore versat
 13 et metuit, ne qua sublata clade repente
 14 aligerum cuncti nigrantum ad regna ferantur :
 15 maestus adit Patrem, cujus firmissima solum
 16 fundamenta manus jaciens agit ; atque potentis
 17 imperii sedem, si qua est, evertit ab imo :
 18 et procul assistens placido sic pectore fatur.
 19 "O, cui siderei servit plaga lucida caeli,
 20 aeternaeque uni mentes paremus ovantes :
 21 scit curae mandasse meae tua summa voluntas
 22 Turcarum invictos populos, gentesque rebelles
 23 Arabiae atque alios, quos in sua verba coegit
 24 jurare Abdarides et sub sua Tartara misit,
 25 seductos cerae cultu pietatis ; ut aras
 26 infandas, facilesque ad turpia crimina ritus
 27 excolerent, natique tui praecepta perosi
 28 effugerent lucem et venturae gaudia vitae,
 29 ni caecae obstaret fraudi, tantoque periculo
 30 instanti tuus altus amor se opponeret unum.
 31 Hos igitur, quos ipse olim tibi forte reservas
 32 incolumes coeli nobiscum in parte locandos
 33 si tueor, causam tueor nostramque, tuamque.
 34 Nam si Christicolae aliis, quibus ipse ferendum
 35 hoc onus, hoc proprium voluisti imponere munus,
 36 militiae aeternae Aligeris defendere fas est,
 37 cur mihi pro Turcis communem orare parentem
 38 non liceat ? Precibusque Arabum fulcire salutem ?
 39 Nec quemquam tamen ipse veto vigilare faventem,
 40 cui debet : fovet ille suos, foveatque clientes.
 41 Quos ego servari pariter cupioque, voloque,
 42 atque inter Turcas, tamquam certissima cultus
 43 adjuncta tui, vitaeque exempla beatae,
 44 versari incolumes, atrum ut post funus honores
 45 caelestem accipiant, ac praemia digna reportent :
 46 illi autem Abdaridum leges, ritusque nefandos
 47 abjiciant, arasque tuas et templa frequentent,
 48 edocti nullum esse alium, cui fidere possint,
 49 quemque mala sine fraude colant : cui vota, precesque
 50 concipiant, statuuntque piis altaria templis :
 51 quemque salutiferum confessi numen adorent :
 52 atque humiles unum castas venerentur ad aras
 53 rite, tuum praeter natum, grave pignus amoris
 54 erga hominum mortale genus : quibus annuis olim
 55 sidereas arces, vacuique sedilia caeli.
 56 Ille igitur populum, qui nunc exire fidelem
 57 gaudet in Arabios, dextrasque armare minaces,
 58 mecum una laetus finem si spectat eundem,
 59 nec portu longe diversi erramus ab uno,
 60 ut quos ipse cupit servari, ego perdere tendam,
 61 quid prohibet belli tantam restinguere flammam
 62 summe Pater ? Cur tam certo tot fortia leto

63 pectora non arces ? Cur, qui nunc instat utrimque
 64 interitus, caecisque dies mutanda tenebris,
 65 non potius dulcem constanti foedere pacem
 66 subducturam etiam multos heroas ab Orco,
 67 in ferrum, inque aciem jam descendantibus affert ?
 68 Nam, Turcas si forte manu deleveris omnes
 69 ipse tua et nullus tandem superaverit atro
 70 excidio, quis jam potis exercere, suoque
 71 coget in officio gentes perstare sequentes
 72 jamdudum partae tutissima commoda pacis ?
 73 Quin illo potius (dicto procul exitus absit)
 74 otia, desidiamque animo (ni fallor) in omnem
 75 amoto procul hoste ruent : scelera inde profanis
 76 inter sese odiis suscepta admittere pergunt
 77 et cultu et verae spreto pietatis honore."
 78 Haec vigil Abdaridum custos sic ore locutus
 79 conticuit : solitaque abiens in sede quievit.
 80 Ast alius, qui militia selectus eadem
 81 et Syriam et palmis viridem curabat Idumem,
 82 astitit ad solium Patris atque ita farier infit.
 83 "O Pater, aeterno qui mentem impulsus amore
 84 legisti nostro vigiles ex ordine certos,
 85 quos populis, quos cuique homini, quos urbibus et quos
 86 praeficeres regnis certa sub lege ministros,
 87 quandoquidem tu me voluisti e fratribus unum,
 88 esse cui sanctae custodia gentis, (vers incomplet)
 89 seligere et comitem miseris haerere, ducemque :
 90 qui nunc servitio Turcarum, Arabumque superbo
 91 oppressi longe a templis arcentur et aris :
 92 accipe jam voces, populos quibus aethera complet
 93 ille tuus, placidusque audi questusque, precesque,
 94 quas ad te statui perferre et quaerere supplex
 95 tantorum requiem nobis, finemque malorum.
 96 E quibus haud equidem inficior te suesse frequenter
 97 innumeros, qui nostra juvent, producere fructus.
 98 His namque exercere bonos, punire nocentes,
 99 atque augere soles praemi spes inde futuri.
 100 Sed miserum tamen huc illuc ferrique, rapique
 101 insontes, duraque premi sub compede vinctos
 102 et cogi simul infandos ediscere ritus
 103 et dirum dirae colere impietatis alumnum
 104 Abdaridem : aut acres ultro dare corpore poenas :
 105 inclusosque tuae vexari moenibus urbis :
 106 ceu pecus et molles mediis in ovilibus agnos
 107 ore trahunt, manduntque lupi, quos longa coegit
 108 e silvis exire fames, dum rure profectus
 109 pastor abest longe, vel somno indulget inertii,
 110 nec nocturna canum servat custodia caulas.
 111 Quamquam longa satis monet experientia, nullum
 112 sperandum esse hominem, cui, si semel ulla licenter
 113 degendae fuerit vitae permissa potestas,
 114 mens eadem perstet pietatem amplexa, nec usquam
 115 rectum animi inflectat ; nam qui per lubrica pergit,
 116 haud semel in pejus labi consuevit, humique
 117 oblitus jacet usque sui ; ceu forte revulsus
 118 aereo scopulos decurrit vertice montis,

119 in praecepsque ruit : nec partem aversus in ullam
120 flectit iter, donec fundo consedit in imo
121 unde potis vis nulla usquam removeere jacentem,
122 non Boreae, non torrentis decursus aquai :
123 usque adeo sedet immotus. Scio acerba meorum
124 excidia et quanto coner noctesque, diesque
125 inde alium atque alium praesens inhibere labore ;
126 ne quando allecti rerum dulcedine et una
127 Turcarum longa jam consuetudine victi,
128 in scelera et mores abeant, ritusque profanos.
129 Nec sum etiam, veri si quid mens augurat, ipse
130 inscius inferna missurum a sede ministros
131 Luciferum, quo se rebus tibi in omnibus aequet,
132 artibus atque dolis operam quamcumque daturus,
133 servitio ne forte tuus, quo pressus anhelat,
134 exeat et dominos populos fuget urbe superbos.
135 Atque haec si mecum, qui nunc tibi regna rebellis
136 barbara commendat gentis, quod amica tuorum
137 interdum celebrantem aliquem commercia diro
138 servet ab interitu, quod tanta exempla secuti
139 forte olim Turcaeque omnes, Arabesque receptent,
140 agnoscantque tuum concordi pectore cultum ;
141 haec si mecum una ferme consideret, idem
142 commoda sectari parva atque incerta videbit.
143 Namque, ut multa tuae spargant pia semina legis
144 Christicolae Turcas inter, tamen impius ille
145 Abdarides magis atque magis firmatur in horas,
146 inque dies crescit, cultumque nefarius auget
147 ipse suum ; magnamque trahens in Tartara secum
148 partem orbis, medio fidens exsultat Averno.
149 Nec tamen exosus Persasque, Arabasque feroces,
150 everti una omnes ruptis radicibus optem,
151 exitioque dari. Vincant, quos vincere fas est :
152 et victi imperio discant parere bonorum :
153 justitiamque colant docti meliora, tuoque
154 colla jugo faciles submittere mollia pergant.
155 Ac tu, mundi opifex et rerum aeterna potestas
156 summe pater ; Solyme populo si libera utrique
157 afferet ad certae (nunc) adjumenta salutis,
158 affer opem magnis (tua laus erit unius) ausis
159 et procerum pia coepta juva : quos undique ab ortis
160 convenisse vides patriis ; et tecta, domosque
161 deseruisse suas, Solymorum ut moenia tantis
162 eripiantque malis : desertaque templa frequentent
163 et substructa novis cumulent altaria donis."
164 Haec ille. At pater omnipotens sic deinde profatur :
165 "Jamdudum, o vigiles mandata ad nostra ministri,
166 quod libuit, placuitque semel, decrevimus ipsi,
167 nec frustra decreta cadent. Vos munus obite,
168 quisque suum ; bello Syriae miscebitur orbis,
169 purpureusque fluet multorum sanguine Orontes :
170 et nunc magnanimis cedet victoria Gallis :
171 nunc eadem ad Turcas vultu laetissima verget :
172 ingratasque vices volvet ; ne quaerite causas.
173 Ipse adero, cum tempus erit." Nec plura locutus
174 annuit et totum nutu tremefecit Olympum.

175 Mox medio e coetu, quorum chorus excubat omnis
176 vestibulum ante ipsum, primoque in limine portae,
177 advocat Aligerum, fidamque affatur ad aurem.
178 "O nostrae pars militiae dilecte minister,
179 quem primos inter prima hac in sede locatum
180 ad nutus praesto esse meos vis cogit amoris
181 immensi et noctes suadet vigilare, diesque ;
182 vade age, Pannonias velox delabere in oras :
183 maximus Ister ubi fines contingit Amantum :
184 atque amnem adversos totum deflexus in Euros
185 moenia sublimis praeterfluit ardua Curtae.
186 Impius hic Colomanus habet : cui frater avitas
187 Halmus opes, regnumque dedit male cautus habendum,
188 ausus legitimae studium et suffragia plebis,
189 testatamque diu patrum contemnere mentem.
190 Ille tamen posthac commissi criminis acre
191 supplicium solvet nocti damnatus inertii.
192 Huc tu quamprimum demissus ab aethere summo
193 fac populi, quos in nostros metus armat euntes
194 in Syriam, jam jamque Saum tranare parantes,
195 mitescant, positaque omni feritate benignos
196 exhibeant sese, nec coeptum obsaepiat usquam
197 ullus iter, certamque viam vetet ire : sed ultro
198 venturis, quacumque potest, ope sedulus adsit."
199 Dixerat. Ille autem ceu fulgur ab aethere praeceps
200 labitur : et dicto citius pervenit ad Istrum :
201 qua medius totum cursu se vertit in Euros,
202 lambit et antiquae sublimia moenia Curtae.
203 Hic regem somni expertem, curisque gravatum
204 repperit et dubios volventem pectore casus
205 bellorum, trepidumque metu : ne forte ducesque
206 et proceres, quorum latis exercitus arvis
207 insidet et populis bellum, excidiumque minatur,
208 ni sibi ad Euxini fauces via libera detur,
209 protinus infensi poenas cum sanguine poscant.
210 Ille igitur formam senis assimulatus Aquinci :
211 cui templi et rerum princeps data cura sacrarum,
212 atque fides habita in dubiis certissima rebus,
213 sive instent belli, placidae seu tempora pacis,
214 attoniti stetit ante oculos atque ora tyranni
215 Paeonis, inde imo rumpens e pectore voces.
216 Non nunc tempus (ait) dubio cum pectore curas
217 versare et rerum ancipites expendere casus :
218 hostis adest, non qui vacuos affusus in agros
219 erret et e patria depellat sede colonos,
220 ac praedas incautus agat : passimque vagetur
221 longius a castris : sed qui sua signa secutus
222 pareat imperio meliorum et jussa facessat.
223 Certa ducum virtus : juvenum spectata voluntas
224 et patiens pariter corpusque, animusque laborum.
225 Hanc tu, si sapias gentem, qua nullius usquam
226 gloria se tollit major vel pace, vel armis,
227 praecipue deflens commissa piacula caedis,
228 omnibus officii sensim lenire memento,
229 muneribusque tuis ; nam sic (mihi crede) quietas
230 incedentum acies Gallorum et castra videbis

231 ire viam et dapibus nusquam se pascere inemptis."
 232 Haec memorans, vulgi strepitum, vocesque ruentis
 233 audiit ad portas urbis : quo praevia Gallos
 234 fama volat missos castris, qui moenia Curtae,
 235 Paeonii sedem regis et limen adirent,
 236 bellique et pacis secum mandata ferentes.
 237 Ergo introgressos jubet ipse in tecta vocari,
 238 seque locat solio residens Colomannus in alto.
 239 Illi adsunt, regemque prius de more salutant.
 240 Mox Senonum ductor Stephanus sic ore profatur.
 241 "Quod nos religio Divum, quod certa voluntas
 242 effundendae animae pro libertate piorum,
 243 ac promissa fides, quod nos data dextera cogit,
 244 concordem bellum Turcis inferre tyrannis
 245 venimus et saevos Europae a finibus hostes
 246 arcere in montes Persarum, Arabumque cavernas.
 247 Nec certe, cum communem pater urbis et orbis
 248 cogere Gallorum vires decrevit in hostem,
 249 Pannonios, vellent qui tantum infringere foedus,
 250 impiaque Abdaridae stabilirent regna rebellis,
 251 insignes pietate viros, fore credidit umquam :
 252 sed potius, quod fas fuerat, quod fama ferebat,
 253 nostrorum aucturus numerum, viresque putavit :
 254 et bellum auspicio regis, ductuque potentis
 255 gesturos : cujus pietas gratissima caelo
 256 esset et in dubiis virtus exercita rebus.
 257 Quem praeponere nunc caelestum in templa relatum
 258 et colimus, flemusque simul, si vixet, aperto
 259 exciperetque sinu Gallos, opibusque juvaret :
 260 sterneret ipse viam : quae quaque in parte sequenda,
 261 aut vitanda forent, ultro nos ipse doceret.
 262 Nunc tibi visum aliter : quando tot millia leto
 263 nostrorum, qui se dextrae Colomanne, tuaeque
 264 crediderant fidei, tua missa ex urbe repente
 265 agmina, contempta Divum pietate, dederunt.
 266 Atque haec ipsa quidem scitatum venimus, an sint
 267 consilio confecta tuo ; discrimen utrisque
 268 hoc solum ostendet, stabilis pax instet, an arma."
 269 Hic dictis animo cunctantem atque ore tacentem
 270 aggressus regem. "Non hoc sibi poscit, Aquincus,
 271 tempus, ait ; nunc certa tibi est oblata facultas
 272 praeteritae caedis nullorum caede piandae.
 273 Fare, age, quid dubitas haec tanti incendia belli,
 274 dum licet, externas longe depellere in oras ?
 275 Jungereque invictas constanti foedere dextras ?"
 276 Talia finierat : cum Rex, cui nuntius ales
 277 jamdudum in Gallos animum, mentemque benignam
 278 addiderat, curasque e corde revellerat acres ;
 279 attollens oculos, ore est sic fatus amico.
 280 "Si vestrum imperium, Galli, si vestra secutae
 281 jussa forent acies, quas hic Germania fudit
 282 innumeras, nostra arva suis viduata colonis,
 283 quae modo vidistis passim squalentia ad Istrum,
 284 dum coeptum properatis iter, bene culta niterent :
 285 neu mixto amborum maduisset sanguine tellus,
 286 funera tot miserans populorum utrimque cadentum :

287 sed potius laetos laeta excepisset amicos :
 288 et, quibus ipsa opibus poterat, juvisset euntes,
 289 non adeo longe nostris disjungitur oris
 290 humanae jucunda comes clementia vitae,
 291 nec tam religio longe supera alta tementum
 292 exsulat hinc, vobis ut quicquam obstare velimus
 293 concordi in Turcas animo sumentibus arma.
 294 Immo ego, ni regni novitas revocaret et anceps
 295 vulgi animus, procerumque odia et male grata voluntas
 296 (credite) non essem tanti pars ultima coepti ;
 297 et data servarem patriui promissa, fidemque.
 298 Postulat hoc a me causae commune periculum
 299 et communis amor famae immortalis et ingens
 300 gentis honos : cujus praeclaro a sanguine priscos
 301 Paeonii repetunt proavosque, atavosque suorum :
 302 inter qui Noarum quondam, Bargumque feraces,
 303 post acri direpta manu donaria Delphis,
 304 insedere agros Brenno duce et auspice Brenno.
 305 Mox patriae sueti late producere fines,
 306 Pannoniae populos omni dicione subactos
 307 pressere et victis leges ac jura dederunt.
 308 Hac ortos patruus nos clara a stirpe volebat
 309 et patriae a tanta numerabat origine fastos ;
 310 Tauristasque et Scordiscos, Bojosque feroces,
 311 quae tum nomina erant, Gallos genere esse docebat.
 312 Quare agite, o, uno nobiscum sanguine juncti
 313 invicti heroes, dextris jungite dextras
 314 atque animos animis et, quae contraria votis
 315 acciderunt nostris, hilares jam mittite et ipsos
 316 per patriae fines vobis iter omne futurum
 317 credite, quae tantis peperit vos inclyta factis.
 318 Non deerunt, quacumque viam tendetis, amica
 319 hospitia : et dapibus mensae sine fraude paratis :
 320 perque agros, mediasque urbes, perque oppida tuti
 321 ingressus et nusquam ingens non copia rerum."
 322 Haec ait : et geminas signis, ostroque superbas
 323 efferri e thalamo vestes et cingula bullis,
 324 e solido bullis longe fulgentibus auro,
 325 apta jubet : nec non pretioso vellere martes :
 326 quas gens perpetuis Scythiae damnata tenebris,
 327 suetaque Riphaeas pedibus calcare pruinas,
 328 mittit Hyperboreis terrarum a finibus usque,
 329 ingentis pretii martes ; his insuper addit
 330 aurea et Eois insigna pocula gemmis.
 331 Tum vero, quando ille aliud nil majus habebat,
 332 Goffredo jubet inclusum, fulvoque decorum
 333 aere dari sceptrum, cujus pars ima frementem
 334 desuper urget equum, Nili genitoris alumnum.
 335 Parte autem in summa rostroque atque unguibus hydrum,
 336 quem pia defecto jamdudum aetate parenti
 337 afferat, ales habet diris invisae colubris.
 338 "Atque haec (inquit) erunt nostri rata pignora amoris,
 339 ignaramque doli Gallis testantia mente."
 340 Sic fatus, propere vicina per oppida certos
 341 dimittit, quorum monitu secura parentur
 342 hospitia : atque viae loca proxima rebus abundant

343 omnibus humanae ad vitae spectantibus usum.
 344 Aurigae interea ex altis Elasippus et Aethon
 345 veloces stabulis simul eduxere quadrigas :
 346 quae rapidis rapidas anteirent cursibus auras :
 347 et tutae acclivis superarent devia montis.
 348 Aurea materies illis curvatur in arcus
 349 et juga chrysolithis passim variata nitescunt.
 350 Ulmeus est temo ; duro circumdata ferro
 351 curvatura rotae, radiosque volubilis ambit,
 352 non ullis salebris, non ulla aetate domandos.
 353 At procul expellunt pluviamque, imbremque cadentem
 354 arte laborare villosa e Castore pelles ;
 355 quae currum inductae circumque, supraque tuentur.
 356 His adduntur equi generosa a stirpe parentum ;
 357 quales Cappadocis prope flumina Thermodontis,
 358 dum populos armis, dum cursu provocat Euros,
 359 Antiopen agitasse ferunt atque Orithyam,
 360 inter Amazonias acies, turbamque sororum,
 361 effera quae Martem mentiri est ausa parentem.
 362 Talibus auditis Galli, donisque receptis
 363 laeti abeunt Curta : pacemque in castra reportant.
 364 Atque aliquis vulgo e medio, cum forte videret
 365 intextasque auro vestes, radiataque gemmis
 366 pocula, cornipedasque feros, pulchrasque quadrigas
 367 et sceptrum et captas Ursae sub sidere martes.
 368 "O, quam magna (inquit) virtus ; quamque incllyta fama
 369 gloria, quam tantis dignatur honoribus hostis
 370 barbarus, ac prece submissa veneratus adorat.
 371 Et poterit tanti quisquam diffidere ductu
 372 herois ? Poterit Turcarum horrescere vultus
 373 praeterea ? Et rerum non exspectare secundos
 374 eventus ? Hujusque ingentia praemia belli ?"
 375 Haec ille. Et defixa solo tentoria laetae
 376 collegere acies : avulsaque signa secutae,
 377 quaeque sua, incoeptum peragunt iter : aeraque longe
 378 sole sub ardenti radiis percussa renident,
 379 praestringuntque oculos spectantium : Eurique procaces
 380 cardine ab averso caeli petulantibus auris
 381 certatim versant, altumque per aera plangunt
 382 signa suis noscenda notis : quae scilicet una
 383 omnia sanguineo dirimit Crux utilis ostro.
 384 Ecce autem diris Erebi e sedibus ales,
 385 cornua cui surgunt summa infestissima fronte :
 386 triste rubent oculi : spirant incendia nares :
 387 et caput intorti lambunt pro crinibus angues :
 388 curvati in falcem dentes : informis hiatus
 389 oris : adunci ungues manuum : quarum una flagello
 390 insonat horrendum : piceam fert altera taedam.
 391 His simul ac sontes animas in Tartara trudit
 392 impius, atque Erebo totum se condit aperto,
 393 contrahit in gyros et crebra volumina caudam
 394 obscaenam et terras taetris obnubilat alis.
 395 Quaque iter intendit, nimbique, imbresque sequuntur,
 396 urentesque aestus, intempestaeque pruinae,
 397 abruptaeque micant tenebrosa e nube procellae :
 398 verberat et grando sata laeta, boumque labores :

399 ac mortale genus vexant morbique, famesque.
 400 Ille autem veteres populorum exasperat iras,
 401 accenditque odia et reges impellit ad arma
 402 praecipites, secum portans letumque, metumque,
 403 inserit et paci, si qua est, nova semina belli.
 404 Ergo huc Ammerice tum se referebat ab alta,
 405 Ammerice, cujus nostro dirimuntur ab orbe
 406 et nobis adversa premunt vestigia gentes :
 407 templa ubi et innumeras positis altaribus aras
 408 ture adolent : Stygiaeque umbras et numina noctis
 409 caedibus, ac fuso miserorum sanguine placant
 410 regnatae passim Aligeris nigrantibus urbes,
 411 isque, ubi diversis Europae a partibus omnes
 412 arma manu populos sumpsisse ultricia vidit,
 413 quo regno spolient Arabas, jamque arva feracis
 414 Pannoniae et Graium fines, Thracumque tenere
 415 victores, neque adhuc ollis se opponere quemquam,
 416 astitit indignans, una quod tanta coissent
 417 agmina : et unanimes in se, excidiumque suorum
 418 conjurasse omnes jam cerneret Europaeos.
 419 Sic igitur secum. Quae nam socordia, quae nam
 420 Tartareos invasit iners ignavia fratres ?
 421 Sublatae ne omnes causae, quibus Itala tellus
 422 foeta odiis in se converterat impia dextras ?
 423 Civilis ne adeo sunt obruta semina belli
 424 et tam certa tenet pax et concordia Gallos ?
 425 Tamque hilarem ducit pacata per otia vitam
 426 imperii quondam assertrix Germania, livor
 427 fortibus alterius coeptis non ullus ut obstet ?
 428 Sic ex regum animis penitus discordia cessit,
 429 ut vacet externas armis invadere gentes,
 430 Abdaridasque meos patriis depellere regnis
 431 audeat ? Et positas Solymis evertere sedes,
 432 Lucifero positas sedes, ritusque sacrorum ?
 433 At gens imbellis, credo et nil tale timendum.
 434 Nonne eadem Siculis nos haec jam depulit oris,
 435 exactosque procul remeare in regna coegit
 436 Afrorum ? Non victrici tot millia dextra
 437 haec eadem Abdaridum Ligeris prope fluminis undam
 438 fudit ? Et innumeros caedis cumulavit acervos ?
 439 Nimirum bello vinci nequit : illa labores
 440 ausa subit duos : invictaque numen adorat
 441 illa suum, cultumque suum tutatur et auget
 442 quotidie magis atque magis ; non ire periculis
 443 obvia, non aestus renuit perferre, famemque :
 444 ingrata nec victa siti, nec frigore cedit.
 445 Absumptae ne igitur vires ? Fraudesque, dolique,
 446 insidiaeque omnes et noxia crimina desunt ?
 447 Non dabitur Turcis (esto) concurrere nostris
 448 et Gallis virtute pari, non robore eodem
 449 pectoris et belli summam gerere artibus iisdem.
 450 At dabitur populos odiis versare, dolisque :
 451 ancipitesque metus pavidis inferre tyrannis :
 452 infirmare fidem : dubiis confundere pactis
 453 foedera et hinc atque hinc raptare in Tartara praedas.
 454 Seu sit Arabs, seu Thrax : numerumque augere nocentum :

455 atque iter innumeris sedes praecidere ad altas :
 456 "Dejecti unde sumus (miserum) per vimque, nefasque
 457 Tartarei fratres, summis invisita potestas
 458 Caelicolis, jussique imas Phlegetontis ad undas
 459 exercere iram et tenebris dominarier atris."
 460 His ubi sese acuit dictis inamabile monstrum,
 461 ardua deseruit caeli convexa, suasque
 462 demisit Stygias penitus se pronus ad undas.
 463 Atque illic iratus adit maestusque, tremensque
 464 regnatorem Erebi. Laxa sedet ille catena
 465 vinctus et infesto summum petit aera cornu
 466 nequicquam et rabie consumitur usque furenti :
 467 quod neque claustra datur, neque vincla exire potestas,
 468 Christicolumque animis varias intexere fraudes
 469 et superum regnis speratum indicere bellum.
 470 It circum Aligerum pubes densata nigrantum
 471 et voces nutusque silens observat et audit
 472 illius : ac nusquam nisi jussa abscedit ab aula.
 473 Tectum ingens, deforme solum, circumdata ferreis
 474 regia parietibus, quam septem ambire feruntur
 475 Cocyti stagna alta vadis impervia caecis,
 476 et pice torrentes, atraque voragine ripae.
 477 In foribus dirae effigies. Contemptus : edaxque
 478 Livor et injustae Veneris damnata Cupido ;
 479 atque morae Furor impatiens aurique micantis
 480 sacra Fames, Luxusque vorax, et desidis otii
 481 importuna Quies ; exspesque Accessus ad umbras
 482 Tartareas, tristisque sedens in limine custos,
 483 impellit flagris alios, aliosque coercet :
 484 et semel ingressos prohibet remeare sub auras
 485 aethereas, placitaeque iterum se dedere vitae.
 486 Ergo illi caeno informes volvuntur et illos
 487 sulphureis demergit aquis niger Ales et unco
 488 corripit impacto : atque ardenti versat in igne.
 489 Supplicii nullum desit genus et sua quemque
 490 poena manet, luiturque suo sub vindice semper
 491 quicquid apud superos sceleris committitur usquam.
 492 Huc sese Ammericae veniens demisit ab oris
 493 aliger et propere portas ingressus apertas
 494 constitit ad solium, saevique inamoena tyranni
 495 limina et has imo voces e pectore fudit.
 496 "En adsum, o princeps tenebrarum, o maxime noctis
 497 arbiter, externis occulti a finibus orbis,
 498 quem neque adhuc veterum solers industria patrum,
 499 nec fors, nec casus, nec vis humana retexit.
 500 Oceano disjuncta latet pars illa patenti
 501 et procul aversis penitus depressa sub Austris,
 502 navigiisque hominum, volucrumque impervia pennis.
 503 Hic solido ex auro plenae tibi turis acerrae,
 504 sanguineque humano perfusa altaria fumant,
 505 hic tibi virgineum florem delibat et aufert
 506 impius, innumerasque preces et vota sacerdos
 507 concipit : hic uni magni tribuuntur honores
 508 et tibi abest : non fama illas perlatus ad oras,
 509 non dictis, factisque usquam, non nomine notus.
 510 Ipse illic solus regnas : cultuque frequenti

511 solus adoraris : solum te templa fatentur
512 et maris et terrae, tempestatumque potentem.
513 Quod nisi quis fidens animo atque interritus ausis,
514 Herculeas manibus post saecula prisca columnas
515 vellat et Oceanum temerarius ire per altum
516 audeat instabili dirimens vada fervida cymba
517 atque intentato positas petat aequore terras,
518 nec scopulos veritus, nec caeco in vortice cautes
519 navifragas, fluctusque perenni aestate calentes :
520 illa tibi (si credis) opis non indigna nostrae
521 serviet aeternum et supplex procumbet humi gens.
522 Omnibus hic lecti saeculis immota futuris
523 sacra canent pueri passim, innuptaeque puellae :
524 ut se Tartareos ultro patientur ad ignes
525 mactari et sontes addici immanibus aris.
526 Verum illic dum regna tibi stabilimus, opesque
527 maxime rex, cunctosque Indos in jura, fidemque
528 cogimus esse tuam : peditumque, equitumque catervas
529 Gallorum unanimes, totamque sub arma coactam
530 vidimus Europam cunctas effundere vires
531 in Turcas, Arabasque tuos, jamque agmina mille
532 conventura simul properant ad litora Thracum :
533 unde Asiae limes brevibus disjungitur undis.
534 Hanc tu, si sapias, totam tueare necesse est
535 imperii sedem et cultus cunabula nostri :
536 perdendumve ultro statuas, tibi quicquid in isto
537 paret adhuc terrarum orbi : quosque unus Avernis
538 Abdarides devovit aquis, ad sidera ituros
539 doctrinae, vitaeque piae praecepta secutos."
540 Haec ille et vastas terrae implevere catervas
541 Tartarea pestes diris ululatibus : ut cum
542 turba canum queritur stabulis inclusa Molossum ;
543 quam sibi dives opum juvenis venator alendam
544 curat, apros, saevosque lupos, ursosque daturam
545 exitio, ut primum stellis languescere lumen
546 coeperit et tenebras veniens Aurora fugarit.
547 Ergo illa interea noctemque exosa, morasque
548 ingratas, variis resonat latratibus aedes :
549 dissonaque in longum ducens lamenta, salubres
550 abruptit somnos miseris custodibus. At rex
551 nigrantum Aligerum rabie fera colla tumescens
552 horrendum intonuit murmur : quo protinus omnis
553 intremuit tellus exterrita : nec minus altam
554 substitit in montis faciem maris aequor et undas
555 vorticibus rapidis trepidos effudit in agros :
556 ipsaque perpetuos mutarunt flumina cursus
557 et fontes petiere suos ; immugiit ingens
558 Caucasus et celsi vertex subsedit Amani.
559 Postquam autem summis caeli gens exul ab astris
560 invidiae stimulis questus impulsa profudit
561 et Phlegetonteis indicta silentia monstris,
562 Lucifer irarum volvens sub pectore fluctus
563 constitit et solio ex alto sic turbidus infit.
564 "Non equidem, o magni proles ignava tyranni,
565 cum mecum ejecti caelo cecidistis in ima
566 Tartara, vos inter veritus sum defore, qui cum

567 hostibus assiduum belli certamen obiret
 568 aeterni memor exilii : quo cedere victi
 569 cogimur aethereas sedes mortalibus aegris :
 570 quas illi cantus inter, celebresque choreas
 571 militiae caelestis et inter gaudia numquam
 572 interitura tenent, segnis rata praemia vitae :
 573 cum tenebris nos interea volvamur in imis,
 574 immeritamque hosti poenam pendamus atroci.
 575 Non equidem timui, quin tanti injuria facti
 576 fixa animo, ultrices cunctorum accenderet iras.
 577 Quae numquam genus humanum requiescere, numquam
 578 pace frui sineret ; verum noctesque, diesque
 579 fraude lacescitum pugna exerceret iniqua :
 580 dum nos parta manu summo victoria caelo
 581 aequaret : nocti nostros addicere hostes
 582 nobiscum et poena victos cruciaret acerba.
 583 Nunc autem video, quae vestra ignavia, vestra est
 584 culpa ingens : solitas desisse intexere fraudes :
 585 desisse unanimes hortari in proelia gentes :
 586 et versas turbare odiis urbesque, domosque.
 587 Non pudet ? O labes, o et turpissima nostri
 588 dedecora imperii, non vos pudet, ire quietos
 589 Hesperiae populos in me, excidiumque meorum ?
 590 Ite procul viles umbrae : quid statis inertes ?
 591 Quis vos insolita tardat formidine torpor ?
 592 Flagitia et serae derisa piacula mortis.
 593 Foedera si percussa, illo si nomine pacem
 594 compositam, cujus vim Tartara nostra tremiscunt,
 595 disjicere atque animos tantis avertere coeptis
 596 non sine ille unus summi regnator Olympi :
 597 quis vetat invidiae flagris accendere Graios ?
 598 Ac tentare metu Thracis praecordia regis ?
 599 Incoeptum qui solus iter remoratus euntem
 600 consilia et causas cessandi innectat opertas."
 601 Dixerat ; ast olli vario simul ore fremebant.
 602 Incusare alios alii : reprehendere fratres
 603 aeros, quorum talis data cura labori est.
 604 Dumque adeo ingenti jactant ea verba tumultu,
 605 exsilit insultans Geniis e tristibus unus,
 606 infestus scelerum vindex et nomine Alastor :
 607 monstrum horrendum, ingens, quo non praestantius ullum
 608 irritare animos et crimina fingere belli :
 609 exsilit : et ventis et fulminis ocior alis
 610 se tulit ad superos Stygiis digressus ab oris :
 611 praecipitique petit Byzantia tecta volatu :
 612 et tacitum Odrysii limen, soliumque tyranni
 613 obsidet atque animum postquam persensit in omnes
 614 Gallorum super adventu diducere curas,
 615 adstitit : atque locum nactus, tempusque nocendi,
 616 Thatinno faciem similis furialia membra
 617 exuit : in vultus et se trasformat amicos ;
 618 Thatinno, faciem obscaenam cui foeda cicatrix
 619 turparat : truncaequae inhonesto vulnere nares.
 620 Artificis mira sed enim mox arte refectas
 621 discolor obductae certo discrimine limes
 622 juncturae sceleris poenam ostendebat aperti.

623 Olli oculi in longum porrecti ad tempora et olli
624 turbinis in morem caput exurgebat acutum :
625 et mentum umbrarat rigidis rarissima setis
626 barba : supercilii species depressa jacentis,
627 in pectusque humeri contracti utrimque redibant :
628 obtutu immotus, collo brevis et pede claudus :
629 sed qui consilii unus bellique, domique
630 auctor haberetur non futilis : esset ubi hosti,
631 aut civi, aut fido fraus innectenda clienti.
632 Quae gratum in primis artes potuere tyranno
633 reddere Threicio, cunctisque imponere rebus
634 imperii, populo pariter, patribusque tremendum.
635 Cujus ut adveniens Erebo furialis Alastor
636 induit os, humerosque sibi, faciemque manusque,
637 nec non et vocem, gressumque effinxit euntis,
638 his regem aggreditur dictis et suscitatur iras.
639 "Dum tua sollicitis exercet pectora curis
640 et metus et patriae vehemens amor et nova semper
641 in consulta animum nunc huc, nunc dividis illuc,
642 Europae extremis exercitus advena ab oris
643 imperii fines nostri populatur inultos.
644 Ille quidem ficto praetexens nomine fraudem,
645 dum sese, ut Solymis servilia vincula rumpat,
646 aggressurum Asiam simulat, Persisque fugatis
647 eversurum Arabum ferroque, ignique penates :
648 nimirum illud agit tantis conatibus unum,
649 ut Graios, quorum nutu nunc omnia parent,
650 quaecumque Ionium complectitur aequor et ingens
651 amne Saus gelidum refugit qua devius Istrum,
652 imperio atque omni spoliatur ditione : tuisque
653 excutiat sceptrum manibus, jusque omne Quiritum
654 occupet invadens armis. Ea sola cupido
655 finibus e patriis Gallos exire coegit,
656 non pietatis honos : ritus non cura tuendi
657 ulla sui sedes, alienaque regna lacessunt,
658 terrarum ut soli vacuo dominantur in orbe.
659 Sic olim Thracum fines aggressus et urbem,
660 cum Brenno extincto Gallis dux additus iret,
661 (nam memini saepe haec priscos narrare Triballos)
662 arva Comontorius Byzantia coepit et auri
663 vim magnam miseris jussit sibi pendere cives,
664 defensa poenam pro libertate, quotannis.
665 Verum haec temporibus jamdudum oblita vetustis
666 forte fidem, nulli facient exempla, sed illud
667 scilicet indicio est, quali sit praedita mente
668 Gallia, vel quanta flagrare cupidine suerit
669 regnandi, terrasque omni ditione tenendi,
670 quod gens ista suis accommoda tempora rebus
671 nacta olim imperii titulumque et nomen ademit
672 per fraudem et patrio Graios spoliavit honore.
673 Et nunc servitio tendit premere ausa superbo
674 Thracibus hic quaecumque tuis regnanda supersunt.
675 Sed quid ego haec tibi nunc annalibus eruta priscis
676 enumerans verbis onero nimis anxius aures ?
677 Quando eadem Italia nuper nos depulit et nos
678 Illyriae et Macedum cunctis decedere terris,

679 proh scelus et fines nostros sibi linquere adegit.
680 Ac nisi tum virtus tua sese opponeret ultrix
681 Threicii regni, regno premeremur inique
682 Gallorum et patriam nobis fleremus ademptam.
683 Cur igitur nunc non obstas conatibus istis
684 nec molire moram ? Si non virtute, manuque,
685 artibus at saltem fallacibus ; indue vultus
686 atque animos, quibus imperio Nicephorus olim
687 detrusus, summo sed enim tibi liquit habendam.
688 Ne dubita locus insidiis non defuit umquam.
689 Perge modo et qua se pandit via praevia fraudi,
690 i celer atque dolis populos everte superbos.
691 Sperne fidem, provolve Deos : mendacia vincant.
692 Ipse adero et nusquam vestigia pressa relinquam.
693 Vertam omnes me in facies : nil prorsus inausum,
694 aut intentatum patiar mihi, donec ad unum
695 caedibus absumptos videam, morboque, fameque."
696 Haec ille et jam certa spe plenus Alexis.
697 "Immo (ait) o rerum columen Thatinne mearum,
698 jampridem ad nostras certos dimisimus urbes,
699 oppidaque et pagos, qui si se forte facultas
700 offerat audendi, pacemque et foedera rumpant.
701 Atque ex insidiis, ubi res ferat, agmen adorti,
702 qua licet, hinc atque hinc inimicum excindere tendant.
703 Sin minus ; officiis studeant vincire benignis :
704 et non inviti poscentibus omnia praestent.
705 Nam si obstare palam (...) sola potentia tantis
706 non poterit coeptis, Arabas tamen usque juvabit
707 consiliis, opibusque suis, bellumque morando."
708 Haec ubi dicta dedit Graiorum ductor Alexis
709 conticuit : flammisque novis praecordia sensit
710 accendi : atque animum stimulis vecordibus uri.
711 Interea, qua parte Saus se fundit in Istrum,
712 transierat laetus Gallorum exercitus omnis :
713 arvaque Taurini, lucosque emensus opacos
714 Mysorum, sublime jugum superaverat Aemi.
715 Unde hinc Adriacas, illinc Maeotidis oras,
716 et Pontum spectare licet : brevibusque diremptas
717 Cycladas inter se spatiis : Asiamque patentem,
718 cui late affusum magnis anfractibus aequor
719 fluctifragum glaucis aspergit litus ab undis.
720 Hinc aliquis tractus, lateque potentia regna
721 Turcarum longe aspiciens. "Proh dedecus (inquit)
722 occupat Abdarides tantum terraeque, marisque ?
723 Nec nos Christicolum, quos jam parere coegit
724 ille sibi, nec nos memores virtutis avitae,
725 nec patriae, cultusque pii miseretque, pudetque ?
726 Scilicet id melius ; bella intestina, necesque
727 moliri inter nos, viresque absumere nostras
728 nequicquam et saevum Turcarum increscere regnum
729 inque dies magis atque magis radicibus actis
730 altius, ad caelum tolli, pars cetera donec
731 terrarum discerpta odiis et viribus impar,
732 ingratis frenum accipiat : cogatur et una
733 flagitiis servire novis, ritusque profanos.
734 Discere et in leges gentis jurare rebellis."

735 Talibus accensi dictis funduntur in agros
 736 Odrysius, placido quos flumine lenior Hebrus
 737 lambit et aurifera dives fecundat arena.
 738 Mox autem irriguam gelidis non unius undis
 739 amnis et auctoris dictam de nomine Orestam
 740 praetereunt laeti : positisque ad moenia castris
 741 Byzanti, grates Superumque, hominumque parenti
 742 supplicibus referunt verbis : rebusque precantur
 743 optatum, qualem sperant ante omnia, finem.
 744 Dumque sacris intenti omnes operantur et aras
 745 ante pias astant humiles : animoque labores
 746 exhaustos repetunt et secum iter omne revolvunt,
 747 adventare acies Italum conserta sequentes
 748 signa vident, tectosque equites fulgentibus armis,
 749 non procul inde ad se celerem contendere gressum.
 750 Ergo incredibilis, cunctorumque aucta tumultu
 751 laetitia exoritur subito : seseque vicissim
 752 hinc, atque hinc acies animis et voce salutant.
 753 Et tandem venisse locum gratantur in unum
 754 incolumes ; ingens ferit aurea sidera clamor :
 755 quo septem Byzanti arces, quo ducta coronae
 756 triplicis in morem sublimia moenia ab imo
 757 contremuere solo : fluctusque repressit euntes
 758 Bosphorus : atque iterum, post saecula mille revulsae,
 759 inter se frontem Symplegades infregerunt.
 760 At primi heroum proceres, delectaque pubes
 761 nobilium propere castis egressa reclusis
 762 sublimes in equis Italum ductoribus ultro
 763 occurrunt, dextrasque juvat jungere dextris.
 764 In primis regem Ausonium Goffredus amicis
 765 excipit adveniens complexibus atque ita fatur.
 766 "Maxime dux, nostrarum in quo pars maxima rerum,
 767 curaque suscepti belli, spesque una recumbit,
 768 en tandem ad fines pervenimus Hellesponti :
 769 metimurque oculis angusti litoris oras,
 770 per quas Argivum juvenes transisse feruntur
 771 aurea de trucibus rapturi vellera Colchis :
 772 litoreque in medio pugna stravisse tyrannum
 773 Bebrycium, qui se obtulerat venientibus hostem.
 774 Quod si summa Dei vis, atque immota voluntas,
 775 has voluit primum virtuti opponere fauces,
 776 omen et judicium belli, quodcumque futurum est,
 777 nos quoque Threicii regis videamus oportet,
 778 num fraudem, num vim injustam superare queamus :
 779 et, quos insidiis (longa est injuria) captos
 780 detinet et vinclis jamdudum et carcere clausos
 781 heroas, prima incoepti fundamina nostri,
 782 quod minime putat ille, manu repetamus et armis.
 783 Ne tamen immeritos Thracas credamur adorti,
 784 misimus Odrysius qui bellum indicat Alexi :
 785 et cras, ni nostris properet parere petitis,
 786 vastaturum agros nos passim, urbemque minetur,
 787 haec Tullingus et haec contra sic Daunius heros.
 788 Illum ego tot scelerum poenam debere suorum
 789 et reor et si quid recti mens concipit, opto.
 790 Tu modo fac tecum statuas tibi quicquid agendum

791 esse putes ; ego jussa sequar ; tamen usque cavendas
 792 (si qua fides) populi fraudes et verba Pelasgi
 793 expertus moneo ; laudis gens invidia nostrae,
 794 invida virtutis ferro modo victa quiescet."
 795 Atque haec dum secum vario sermone volutant,
 796 considunt acies campo, seque aggere cingunt.
 797 Sole autem Hesperias mox decedente sub undas
 798 ter sonitum tuba rauca dedit : quo scilicet omnes
 799 admoniti genibus flexis et ad ardua palmis
 800 sidera sublatis Dominam terraeque, polique
 801 et matrem illius, nostros qui solus ab Orco
 802 vindicat atque oris animos caelestibus infert,
 803 voce salutarunt humili : precibusque peractis,
 804 depellunt dapibusque famem, mensisque reponunt
 805 vina : quibus laeti sedant curasque, sitimque.
 806 Interea portas alii, vallumque, viasque
 807 obsidunt vigiles : alii defessa labore
 808 membra locant stratis : gelidaeque horrentia Lunae
 809 frigora et hibernos vitant sub pellibus imbres :
 810 optatosque petunt somnos, animosque relaxant.

LIBER QUINTUS

S_5 v.1 Nec minus Odrysiam cingi custodibus urbem,
 2 altaque pervigili servari moenia cura,
 3 cum primum mediis Gallorum exercitus agris
 4 consedit, densis Italum legionibus auctus,
 5 jusserat Imperii Thracum moderator Alexis :
 6 et sese cunctorum oculis subduxerat ultro,
 7 abdideratque domi, stratis defessa daturus
 8 membra, maris magni dum Sol delapsus in undas
 9 solatur dulci mortalia corda quiete
 10 et caelum reserat stellis ardentibus aptum.
 11 Ipse tamen pectus curis exercitus atris
 12 pervigilat, placidoque nequit vincire sopore
 13 lumina : at in varias animum diducere partes
 14 cogitur et rerum dubios expendere casus.
 15 Non secus atque olim diverso ex orbe ruentes
 16 marmoreum impellunt aequor Boreasque, Notusque
 17 alternantque vices inter se et mutua regnant ;
 18 tolluntur fluctus ad sidera : fervet arenis
 19 aestus et ejecta litus conspergitur alga.
 20 Jamque adeo mediae spatium volventia noctis
 21 sidera adoratos Ganges ubi dividit Indos :
 22 cum post insomnes horas et taedia, molli
 23 infractos lecto tandem maestissimus artus
 24 composuit, vigilesque oculos languore remisit.
 25 Sedibus interea ex imis egressus Averni,
 26 ne quid inexpertum, ne quid pateretur Alastor

27 intentatum a se, quo tanta incoepa morari
28 possit et Abdaridis illatum avertere bellum,
29 quaerit in aera fratres regione vagantes :
30 depulsos caelo fratres, qui jussa secuti
31 impia Luciferi summo detrudere regno
32 aeternum volvere hominum, Superumque parentem,
33 cunctarum ut rerum domini, caelumque potentes
34 ipsi essent, primique alta in statione sederent.
35 At genitor, cujus nutum, dextramque tremiscunt
36 sidera et aeternae mentes reverentur, ab astris
37 dejectos, partim tenebris addixit Averni.
38 Partim autem immensum ferri per inane volantes
39 jussit et impurae versari in partibus aethrae,
40 supplicia et poenas tanto pro crimine dantes.
41 Quam multae Libyco turbantur litore arenae,
42 Eurus ubi, Zephyrusque mari incubuere profundo :
43 aut etiam Arabia in media cum pulveris atrii
44 insurgunt campis nubes et lucis egentem
45 aera condensae picea caligine condunt.
46 Sic caeli obscuras implent immensa cavernas
47 agmina et assidue flagris immanibus urunt
48 pectora : quorum acres ni vis divina refringat
49 conatus, una cunctos in Tartara secum
50 ima ferant : tantas properant innectere fraudes
51 et tantum miseros gaudent avertere luce
52 siderea et noctis tenebris damnare perennis.
53 Huc ergo celerem cursum contendit Alastor
54 et sedes petit infaustas : ubi foeda nigrantum
55 turba habet Alituum, quae per sua somnia miris
56 ludit imaginibus mentes et pectora regum.
57 Est locus, in terras ruit unde nigerrimus imber
58 et teneras grando misere contundit aristas,
59 praecipiant nimbi, volvunt maria alta procellae,
60 humanumque genus tonitrus et fulgura terrent.
61 Illic extorres Genii torquentur et illic
62 concilia et coetus agitant, variasque per artes
63 circumfusi animis certant illudere nostris.
64 Quos penes et facies et monstra immania rerum,
65 Scyllaeque, Sphingesque et turpia Centaurorum
66 corpora, nec tacitae caedis non conscius horror :
67 ac scelerum suadela, novi spes improba regni,
68 quaeque adeo pavidas impellit ad impia mentes
69 vana superstitio : saevisque adamata tyrannis
70 et recti et pravi certa sine lege potestas.
71 Quo simul adveniens trepidus successit Alastor,
72 accurrere omnes, summaque in sede receptum
73 Luciferi inferna furiarum ab sede ministrum,
74 Quid mandet, fierique velit toto agmine poscunt.
75 Ille autem. "O nostro gens acceptissima regi,
76 spes Erebi, Stygiique cohors teterrima fratris,
77 immensi quibus ad poenam plaga turbida caeli
78 est data, mortali victi cum cessimus hosti
79 aetherias sedes et pro caelestibus oris,
80 aeris obscurus tractus, terraeque cavernas
81 cogimur horrentes habitare et frigora et aestus
82 perferre et soli saevos tolerare labores.

83 Usque adeo nihil esse putat Rex aetheris alti,
84 assiduusque, atroxque ultor memorabilis ausi,
85 nos coetu e Superum, caelique ex arcibus actos
86 praecipites, spectare homines ea regna colentes
87 (proh scelus) in primis generi quae debita nostro.
88 Cernitis Europae populos, sedisque rebelles
89 Tartareae, nuper percusso foedere bellum
90 decrevisse Syris inferre et tollere ritus
91 consuetos, aliumque animis inducere cultum.
92 Ut, qui falsa diu fuerint praecepta secuti
93 Abdaridae, incolumes, perspecta fraude priorum,
94 serventur, rectaque omnes ad sidera tendant.
95 Nos autem in duras nobiscum impellere poenas
96 possimus nullos, penitus quos odimus et quos
97 post obitum Stygio sontes addiximus Orco,
98 ditantes praeda semper Phlegethonta recenti.
99 Erigite ergo animos et, quam pote quisque per artem,
100 afferat auxilium, praestoque ruentibus adsit
101 rebus et imperii fines, spatiumque propaget :
102 communesque altis regionibus arceat hostes,
103 hoc jubet, hoc vobis mandat rex magnus Averni.
104 Irritate animos, iraque accendite Graios
105 in populos, quorum, ceu dira piacula, ritus
106 depellunt ipsi templorum a limine et aris
107 exosi patrum decreta aeterna piorum.
108 Ite igitur, mentesque simul, sensusque profanos
109 jamdudum caelo aversos spe pascite iniqua ;
110 insidias ut cum Gallis, Italisque pararint,
111 ignorent sese pietatis imagine falli."
112 His dictis accensa cohors furit undique et iras
113 evomit, ac caelum tenebris obscurat obortis.
114 Inde autem in populos Graium mille agmina, mille
115 descendunt acies sublimi ex aere missae :
116 et corda exacuunt, rabiemque furentibus addunt.
117 Inque Italos raptim, Gallosque erumpere cogunt,
118 dum nox atra oculis nebulas offundit opacas
119 et Lunam occultant densa caligine nubes.
120 At Morpheus inter Genios notissimus unus
121 aerios, cui summa olim permissa potestas
122 omnia vertendi sese in miracula rerum,
123 ignemque, pluviumque imbrem, glaciemque, nivemque,
124 effigiesque hominum, saevarumque ora ferarum,
125 jussus : et pressis lecto superastitit alis ;
126 Eustratio vocem similis, faciemque, coloremque
127 et crimen intonsum, rugisque inarata senectae
128 ora, manusque ambas, malasque aetate fluentes.
129 Eustratio, qui tum custos populique, patrumque,
130 sacrorumque adeo princeps perversa doceri,
131 quae miseri colerent cives, praecepta jubebat.
132 Ergo illum vultu referens, procurvus eburno
133 incubuit baculo, talesque e pectore voces
134 edidit. "O quondam cui res est credita tanti
135 imperii, Graiorumque vigil tutela sacrorum,
136 quae ritu ceu vera pii statuere parentes,
137 perque manus eadem seri excepere nepotes,
138 surge, age ; (namque) sub (eximio) requiescere casu

139 non licet et totam somno traducere noctem,
140 consilio populi moderantem frena, manaque."
141 Haec ille affatus tenebris se immiscuit atris.
142 At rex Threicius toto de corpore somnum
143 excutit atque artus stratis (e) mollibus excit :
144 induiturque humeros saturatam murice laenam
145 et lateri insignem gemmis accommodat ense.
146 Tum vero ancipiti versans sub pectore cura
147 consilia et rerum casus, fluctusque severos
148 permetuens, ad se fidos accersit amicos :
149 Thatinum ante omnes, quos tecta in regia postquam
150 convenisse videt, positos ex ordine, primum
151 talibus alloquitur solio sublimis ab aureo.
152 "Delecti o proceres, regni firmissima nostri
153 robora, consilio qui nos fulcire fideli
154 consuestis, quotiens dubiis de rebus ad aures
155 rettulimus vestras et quae mens esset, aperte
156 testati, mecum cives servatis et urbem.
157 Scitis ut insidiis exceptum in tecta, domosque
158 adduci et vigili cinctum custode teneri
159 Ugontem magnis curarum a regibus ortum,
160 ductoresque alios, sumptis quos fortis in armis
161 Gallia misit avis ad nos, atavisque potentes,
162 latronum capita : occiduis qui nuper ab oris
163 adveniunt, urbemque armato milite nostram
164 oppugnant, positis ipsa haec ad moenia castris :
165 quodque magis doleam, ferroque, ignique minantur
166 desolatos agrum, stragemque duros
167 undique, ni juvenem actutum reddamus et una
168 delatis illuc rebus, quarum indiget usus,
169 omnibus et Gallos quamprimum, Italosque juvemus.
170 Ac jam tempus adest, orta cum luce vocari
171 oratorem opus est regum mandata ferentem :
172 reddamus quo nostra illis responsa vicissim :
173 oblatam ne ultro pacem jungamus, an armis
174 imperii sedem nostri tueamur et illi
175 experti discant Thracum quid fortia possint
176 pectora et unanimes Graiorum in proelia vires."
177 Rex haec Threicius. Sed enim mussante Senatu
178 Thatinnus, cujus semper sententia quo se
179 flecteret, ac rebus laxas daret unus habenas,
180 spectabant intenti omnes, sic ore locutus.
181 "Si quisquam est, rex magne tuam qui nesciat omni
182 perspectam virtutem orbi, qua clarus ab Indis
183 sol oriens medias percurrit lampade terras
184 et caput Hesperias condit declivis in undas,
185 forte putet certi tantis in rebus egentem
186 consilii, certas aliorum exquirere voces.
187 Nunc autem, quoniam melius quid tempora poscant
188 ipse unus, tamquam specula sublimis ab alta
189 prospicis, o bone Rex quam quos Byzantia patres
190 curia dinumerat, cum convenere frequentes,
191 quis dubitet, quin infestos delere latrones,
192 non virtute palam praestet, sed fraude petitos ?
193 Nam neque nunc demum quaerenda est gloria bello
194 ulla tibi, quippe illam olim peperere labores

195 multiplicem et ducti superato ex hoste triumphi.
 196 Sic vicisse satis quavis ratione superbos
 197 praedones, quos una suis in sedibus actos
 198 impulit externos rabies invadere fines
 199 civilis, patriaque ingens exegit egestas.
 200 Hos autem si fraude queas evertere, nulli
 201 objiciens Graiosque tuos, Thracesque periclo,
 202 tum te insignis honos, tum fama aeterna sequatur
 203 victorem, laudesque tuas cum laudibus aequet,
 204 tota quibus priscum commendat Graecia saeculum.
 205 Cum post innumeros anni, Solisque recessus
 206 unum te ventura duces mirabitur aetas
 207 delevisse vagam nostro sine sanguine gentem.
 208 Dimittendi igitur donis ingentibus aucti,
 209 quos tua nunc, Rex magne, tenet custodia vinctos,
 210 cum primum terras radiis aperire patentes
 211 coeperit exoriens Aurora, intraque vocandi
 212 moenia ductores, simulato et foedere dextrae
 213 jugendae, quo nostra hostem pellamus ab urbe
 214 pacatum, post autem Asiae castella, sitasque
 215 montibus in summis, cinctasve palustribus undis
 216 oppugnantem urbes frustra ferroque fameque
 217 absumamus, opem Turcis, Arabisque ferentes."
 218 Talia censebat fraudum certissimus auctor
 219 Thatinnus, nutusque omnes consulta probabant
 220 impia, cum subito falsis rumoribus aures
 221 velatis in facem versus complevit Alastor.
 222 Scilicet excubias omni statione relicta
 223 discessisse procul nec quemquam castra tueri ;
 224 desertumque suis custodibus undique vallum :
 225 nec non et reliquo somno, vinoque sepultos
 226 ostentare viam, si quis praestantibus ausis
 227 illustris, Graiumque inter Tracumque maniplos,
 228 audeat implicitam (.....)
 229 insuetam tenebris turbam committere pugnam
 230 et conferre manus, ignarum hominumque, locorumque.
 231 Hic improvisa mentem commotus Alexis
 232 tantarum rerum fama, capere ocios omnes
 233 arma jubet, totaque effundi ex urbe maniplos.
 234 Interea sese, facti quasi totius expers
 235 devinctus somno cubet, in penetralibus aureis
 236 expectaturum, quem tanta audacia finem
 237 consiliis, rebusque suis imponat et utram
 238 in partem sua coepta ruant : tum protinus illuc
 239 venturum, quo se casus, tempusque vocarit,
 240 aut bellum gerere, aut concepto foedere pacem
 241 exercere velint, dextrisque adungere dextras,
 242 legibus inter se et pactis nova pacta ligante.
 243 "Immo, ait Eurytim, (famae namque illius auctor
 244 venerat Eurytion, uni cui credita serae
 245 noctis et obsessi praesens custodia muri)
 246 jamdudum sumptis populus tuus assidet armis
 247 pugnae avidus nimiumque moras incusat inertes,
 248 dum proceres, summique duces recludere nolunt
 249 objicibus ruptis portam, cui Thracia nomen,
 250 injussuque tui prohibent erumpere et ipsam

251 linquere noctu, nis vacuum custodibus urbem."
 252 At bonus Eumedes, cujus praecordia nullis
 253 attigerant stimulis dirae. Obscaenaeque volucres ;
 254 sed pietas, cultusque Dei sincerus et una
 255 intemerata fides, cunctosque illaesa per annos
 256 virtutis miro mentem inflammarat amore,
 257 sustinuit paulum sese : mox pronus utrisque
 258 submissis genibus canos nudavit et ipsum
 259 in morem venerans adstantem ante ora tyrannum
 260 incipit atque illum verbis affatur amicis.
 261 "Maxime Rex, equidem pro te quicumque periculis
 262 objiciet caput ipse suum, natosque, domumque
 263 impiger in dubii mittet discrimina martis,
 264 dum praesens tempus recte sentire fatebor.
 265 Nil quoniam metuisse, tamen cavisse decebit
 266 omnia, consiliis patriae qui jura tuetur
 267 atque unam spectat populi, regisque salutem,
 268 quis dubitet, quin castra duces, quo densior umbra
 269 incubuit terris et nox accommoda furtis,
 270 munierint, dubiosque aditus et strata viarum
 271 excubiis passim vigilantibus ? Haud mihi quisquam
 272 suaserit et rigidas glacies superasse, nivesque.
 273 Perpessosque hiemes, ventosque, imbresque furentes
 274 incolumes, populosque manu fudisse superbos
 275 atque viam medios tuto stravisse per hostes,
 276 oblitos nunc esse sui : laetosque laborum
 277 ignorare quibus terrarum in finibus errent :
 278 aut somno et placida oppressos recubare quiete.
 279 Haud ita Goffredus primis assuetus ab annis
 280 degere sub dio vitam, tolerare labores
 281 militiae, noctu numquam se dedere somno
 282 instituit, Syriae secum quos ducere in oras
 283 decreerat, bello natos et fortibus ausis.
 284 Nec nostris nimium notus Boemundus et acer
 285 virtutis magnum specimen Tancredus avitae,
 286 artibus instructi patriis, non vivida bello,
 287 Ausoniae decora alta suae, legisse feruntur.
 288 Pectora, Dalmaticis olim durata pruinis,
 289 doctaque sub forti Martem exercere magistro.
 290 Scilicet hic demum nocturna ob frigora miles
 291 injussus solito vallum custode relinquat
 292 exutum, noctemque ratus, tenebrasque profundas
 293 fraude vacaturas, caelo se subtrahet. Esto
 294 non satius pacem inter nos et foedera jungi ?
 295 Communemque hostem communi arcere periculo ?
 296 Qui nunc Graiorum miseris cervicibus instat
 297 asper, acerba minans, vix illum Thracius arcet
 298 Bosphorus atque (utinam vates sim falsus) apertis
 299 moenibus his tandem, portisque a cardine vulsis
 300 immittet sese ; sequitur victoria numquam,
 301 quos bellum premit assiduum et discordia vexat.
 302 In manibus pax est, Rex o clarissime, nostris
 303 cum populis, quorum invictas ad proelia vires
 304 armavit pietatis amor, justumque coegit
 305 bellum inferre Asiae pro libertate piorum.
 306 Tu modo, quod nobis sese nunc obtulit ultro,

307 consilii si quicquam in me est, citus arripe et istam,
 308 quae tibi suspectos Gallos facit, exue mentem.
 309 Hi tecum jungentur enim certare parati
 310 officiis, hostesque una depellere Turcas
 311 et proferre tui longe confinia regni."
 312 Haec bonus Eumedes : nusquam tamen impia flexa est,
 313 aut commota in loca Thracis sententia regis.
 314 Stat casus tentare omnes, quacumque paratam
 315 ostentat fors ipsa viam, spemque addit aventi.
 316 Namque illum tantis aversum a rebus agebat
 317 invidiae dolor usque comes, generosaque pubes
 318 Hesperiae antiquae, regnum paritura, decusque
 319 ablatum Graiis Arabum virtute tyrannis,
 320 terrebat suspensum animum, imperioque timentem.
 321 Atque ita, consiliis postquam pejoribus uti
 322 ipse volens statuit, melioraque reppulit, ultro
 323 Eurytiona vocat, tacitumque educere porta
 324 imperat instructos pedites, quos candida circum
 325 vestis eat, retegens humeros candore nivali.
 326 Dissimulet tamen interea se talia jussu
 327 moliri alterius, coeptisque insistere tantis.
 328 Paruit Eurytion dictis : " Populumque sequentem
 329 sponte sua, Dirisque actum furialibus urget
 330 ad caedem atque animos cunctorum hortatibus implet.
 331 Ite viri : vobis oblatum optabile tempus
 332 fortiter audendi est : nox intempesta tenebris
 333 usque suis, caelo incumbens vos ad sua belli
 334 furta vocat : jacet hostis humi madidusque, tremensque :
 335 nec capere arma queat, quamvis velit, horrida passus
 336 frigora et insomnis partem vigilare coactus
 337 noctis ad extremam : nunc somno mergitur alto :
 338 infractosque artus stravit sub pellibus, ite :
 339 este viri, patriae memores : victoria nostris
 340 in manibus : sibi quisque animos, viresque ministret."
 341 Dixerat : atque illi, rapidi ceu flaminis aerae,
 342 qua data porta ruunt et spe sibi destinat unum
 343 quisque ducem, aut caesi exuvias jam praeripit hostis :
 344 seque cupit, speratque, suam qui primus in urbem
 345 victor ovans referat quaesitum ex hoste triumphum.
 346 Ut, cum praecipites summo de vertice montis
 347 ima petunt aucti pluviis hiemalibus amnes,
 348 quos circumjectae moles et saxa retardant,
 349 triste fremunt, cautesque albent aspergine et ingens
 350 volvitur hinc atque hinc tumefacto gurgite vortex,
 351 impetus undantum donec praeruptus aquarum
 352 arctis incubuit claustris et vi via late
 353 perque humiles vicos, obstantesque acta per agros.
 354 Haud secus Odrysia prorupit ab urbe juvenus :
 355 impatiensque morae rapidos contendere gressus
 356 speratam ad caedem demens pergebat et alter
 357 alterius celerabat iter ; jamque ardua longe
 358 moenia Byzanti festina reliquerat alti,
 359 cum Fabaris, Clytiusque, ducum quibus ultima jussu
 360 credita contigerat serae custodia noctis,
 361 senserunt tacitae per amica silentia Lunae
 362 accedentem hostem, propiusque in castra ruentem.

363 Atque ambo. "Arma, arma fremunt : concurrite ad arma,
 364 o socii ferte arma manu : date tela, propinquat
 365 ferro accincta acies et, quae recludere vallum
 366 audeat, audenti ni tela opposta resistant."
 367 Hae simul exceptae voces, simul excita pubes
 368 Gallorumque, Italumque omnis concurrat ad arma :
 369 ac de more cavis castrorum in turribus hostem
 370 exspectant stantes alto super aggere, quo tum
 371 quisque loco veniens primum, quaque arce resedit,
 372 pontibus insidunt junctis, densique tuentur
 373 loricam valli lento de vimine textam.
 374 Ast Itali, Gallique duces Goffredus et acer
 375 Appulus atque animo praestans Tancredus in unum
 376 convenere locum ; queis se duo fulmina belli
 377 addiderunt omnis expertia corda timoris
 378 Roberti, Stephanusque armis superare, manuque
 379 doctus et hostiles evertere fraude phalanges ;
 380 nec non Tectosagum ductor Ramundus avita
 381 laude ferox, vi saepe tamen qui fretus aperta
 382 contuleratque manus, victosque fugaverat hostes.
 383 Affuit et Medix, clarae cui gloria vitae
 384 dulcis erat tantum, ceu dedecus instar acerbae
 385 mortis ; adhuc quamvis juvenile inglorius aevum
 386 egerat assuetus cursu praevertere Cauros,
 387 aequalesque inter duram exercere palaestram,
 388 tum primum flava spargens lanugine malas :
 389 formosae sed enim decus immortale juventae
 390 absciderat crinem, solidoque obtexerat aere.
 391 Seque illi veterum generosa a stirpe Quiritum,
 392 queis post eversas sedes et moenia Romae
 393 Umbrorum populi se commiserere regendos,
 394 progenitus, comitem venienti Ursanius ultro
 395 addiderant forma et juvenili aetate superbus :
 396 quique adeo magno magnis heroibus iret
 397 par animo et miro laudis flagraret amore.
 398 Quare avidus factis illustrem extendere famam.
 399 Ut primum tanti rumor percrebuit ingens
 400 incoepti, passimque Italis vulgatus in oris,
 401 contulit extemplo Dauni se in castra, volentem
 402 scilicet ex tanto pacis, bellique magistro
 403 discere virtutem jam tum, verumque laborem,
 404 praecessurus avos longe praestantibus ausis.
 405 Hic igitur Medici paribus se passibus aequans
 406 contiguum laevo lateri conjunxerat, ut cum
 407 sustulit Oceani laetum jubar aequore vultum,
 408 aeraque illustrans radios effudit Olympo,
 409 si forte aetherius sese comes addidit ignis,
 410 aetherius Jovis ignis et ore affulsit honesto,
 411 incedunt rutili, tenebrasque et nubila vincunt.
 412 Quos circumfusos acuens hortatibus heros
 413 Goffredus breviter sic est affatus. "Averem
 414 ipse quidem, o socii, fratrum generosa meorum
 415 pectora, in Arabias gentes firmissima coepti
 416 fundamenta pii, solos invadere Turcas,
 417 pellereque obsessa Solymorum ex arce : nec enses
 418 interea Graio foedari sanguine nostro :

419 sed quoniam Euxini fauces transmittere Ponti
 420 non licet illorum multa sine caede ; sequamur
 421 quo Deus et rerum series vocat una cietque.
 422 Haud etenim vis ulla potest non justa videri,
 423 cujus ope infensos tuti propellimus hostes.
 424 Quare agite, o proceres, postquam Comnenius ultro
 425 non petit et vino credit, somnoque sepultos,
 426 quamprimum votis aliquem decernite vestris,
 427 qui properet celerem castris educere turmam,
 428 circumiens medios longis anfractibus agros,
 429 sentiat exclusos dum longe a moenibus hostes,
 430 ne faciles cuiquam pateant, tutique receptus."
 431 Dixit et una omnes tanti sibi munus honoris
 432 deferri petiere animis et vocibus iisdem ;
 433 Graiorum, Thracumque dolos et verba perosi.
 434 Goffredus sed enim splendenti in casside sortes
 435 misceri, ducique jubet. Dux Appulus urna
 436 exiit, isque Italos aversae a limine portae
 437 castrorum egressos latis agit avius agris.
 438 Atque ubi jam Septem non longe a Turribus ire
 439 se videt, Ausonium deflectere protinus agmen
 440 imperat et versos a tergo invadere Thraces.
 441 Illi autem interea densa testudine Gallos
 442 agressi jaculis primum, levibusque sagittis
 443 pugnam ineunt : alii scalis ascendere vallum
 444 obnixi et curvis divellere falcibus audent.
 445 Hic Lycabas patre Argolico genetrice creatus
 446 Ismaria, suetus qui fas miscere, nefasque,
 447 ausus erat Phyllyres thalamum incestare novercae,
 448 ac tum Threicio Regi gratissimus unus :
 449 primus in excelsam conjecit lampada turrim,
 450 quae lateri astabat portae vagus ignis adhaesit
 451 parietibus summis : mox ad fastigia tecti
 452 ascendens, perque ipsa simul dilatus ab Euris
 453 (nam flabant), nilque illaesum, intactumque relinquit.
 454 Tunc ille. "O cives, Deus, en Deus ipse secundat
 455 nostra incoepa, inquit, quos non potuere pruinae
 456 Illyricae, densaeque nives absumere et imbres :
 457 scilicet efficiunt objecta incendia, ne se
 458 expediant, neve arma armis opponere possint.
 459 Ite viri mecum, mediaque irrumpite porta.
 460 Haec mea nunc primum valuis impacta securis
 461 recludetque aditus et castra inimica, dabitque
 462 corpora multa neci." Jactanti talia guttur
 463 aggere de summo jaculum transverberat ingens
 464 atque ictu costas veniens perrumpit eodem
 465 Phradmonis Arcadii : Lycabam qui forte secutus,
 466 exul ob infusum fratri, natisque venenum
 467 venerat in Thracis regnumque, urbemque tyranni,
 468 haerebatque illi pediti pedes : egit utrumque
 469 ad mortem vulnusque unum, nox una, manusque
 470 una eademque Orco sontes demisit et umbris.
 471 Non secus ac gemini rigidis cervicibus angues,
 472 vere novo cum forte latent in graminis herba
 473 impliciti variis circum squalentia nodis
 474 pectora, si propius messor se contulit, ambo

475 ilicet exsolvunt sese, pariterque feruntur
 476 horrida porrectis edentes sibila collis :
 477 ille autem prato falcem supponere doctus
 478 uno utrumque caput venientibus amputat ictu.
 479 Vulnere sic Lycabas, sic Phradmon stratus eodem
 480 abjicere animos et verba minacia, primi,
 481 qui patrios fuso foedarint sanguine campos.
 482 Ni prior Eurytion pugnae stimulator iniquae
 483 et fraudum tantarum auctor, dum fervidus instat
 484 molibus, eque alto raptas trahit aggere crates,
 485 percussus dura cecidisse (in) tempora glande,
 486 effractoque sinum sparsisse et arma cerebro.
 487 At reliqui, quorum infelix spe pectora inani
 488 luserat Eurytion, simul ac videre peremptum,
 489 concessere retro, namque illos grandinis instar
 490 saxa super, vastaeque trabes et tela ruebant :
 491 ac dextra, laevaue procul sine more furentes
 492 liventis plumbi glandes, celeresque sagittae
 493 emissae arcebant castris, longeque fugarant
 494 jamdudum exanimes atra formidine Graios :
 495 praeter eos, qui turbam inter, gemitusque, fugamque
 496 ad terram dederant perfossum vulnere corpus.
 497 Nec tamen haec nulla sine caede incoepa suorum
 498 evenere piis. Nam dum super aggere turres
 499 castrorum hinc atque hinc properant absumere flamma
 500 injectae et longe dant clara incendia lucem,
 501 eminus immissis una periere sagittis,
 502 quarum acies fuerat letali infecta veneno,
 503 Iccius, Agravius, Contus, Celtillus et Aegeus,
 504 cumque Accone Clephis, prolesque Indonis Alauda :
 505 Indonis, qui quondam inter regnavit Iberos
 506 praedives, sed enim rebus mox exul iniquis
 507 fugit inops procul ad fines et tecta Vocatum,
 508 Tarbellosque Auscosque, Bigerronesque, coactus
 509 externo patrium Sicorim mutare Garumna.
 510 Nervius hos, Atrebasque ferox, Morinusque sequuntur.
 511 Trajectus frontem Morinus, laevamque papillam
 512 Nervius : ast Atrebas intortae verbere fundae
 513 aggere semianimis fossam revolutus in imam.
 514 Ipse tamen Charilas, Cyndesque et fortis Hiempsal
 515 conferti ordinibus, pontes ut forte tenebant,
 516 sese oculis Graium certatim ex ponere pergunt,
 517 invitantque hostes ultro conscendere vallum
 518 et conferre manum et letum pro laude pacisci.
 519 "Eia agite, o densis solum confisa tenebris
 520 agmina, quid statis ? Vos huc, vos orta repente
 521 lux vocat : en omnes imbrique, geluque jacemus
 522 torpentes passim, correptaue corpora flamma
 523 atque oculos caeci fumo comburimur atro
 524 et nusquam stabiles vestigia pressa tuemur."
 525 Haec Auscus, bellis Auscus bonus, haec quoque gentes
 526 inter Aquitanas nota virtute Garumnus,
 527 Tonsillusque ferox, nocturnaue praelia doctus
 528 Orgetorix miscere manu et discedere victor.
 529 Et simul ingestis multos in tartara trudent
 530 aclydibus, sudibusque etiam, gaesisque, sparisque

531 inque agmen suetus inferri hostile verutis.
532 Dum haec non una castrorum in parte geruntur,
533 Daunius a tergo veniens invadit Achivos
534 aversos, Thracesque sibi nil tale timentes :
535 atque odiis animum patriis accensus et ira.
536 "En qui nos (inquit) caecae per tempora noctis
537 appetiere dolis ? Sunt, en sunt scilicet iidem,
538 qui vestrum aspectum ferre et consistere contra
539 Epiro in media numquam potuere, sed armis
540 devicti vestris campo fugere relicto,
541 reliquiae infames pugnasque exosa juvenus,
542 somnique atque epulis et lustris dedita pubes,
543 ceu persaepe ferae deprensae in sedibus haerent."
544 Dixit et extemplo vagina interritus ensem
545 diripit ; illum omnes manibusque, animisque paratis
546 praecipites primam in pugnam, caedemque sequuntur,
547 inque aversa ruunt Graiorum terga : rapaces
548 non secus atque lupi, quos alta excedere silva
549 dira fames, lucisque vagae mora tarda coegit,
550 si quando longo pascentes agmine cervos
551 ire vident, primum taciti vestigia ponunt,
552 mox propius saltu simul exsiluere, feruntur
553 una omnes : adiens hic illum eviscerat atris
554 dentibus : ille alium trajectum vulnere fauces
555 occupat et rabido discerpit viscera morsu.
556 Sic Daunius, sic Ausoniae delecta juvenus,
557 invasere aciem Graiorum in terga ruentes.
558 Atque hic ante alios ferro Boemundus acuto
559 aggressus Sagarim (Syrii vetus incola Orontis
560 ille erat et Turcis Daphnem patefecerat urbem)
561 sternit humi, gladiumque adigit per colla volenti
562 dicere, ni vocem pressisset vulnus euntem.
563 Huic etiam adjungit Cotylan, Phaestumque, Lycumque :
564 quos Chromio Thraci Boeota eduxerat Arne :
565 fortunata parens Arne, nisi Daunius ensis
566 tergeminos vitae spoliasset lumine natos.
567 Jamque adeo extremum perruperat agmen et alta
568 caede madebat humus, cum versae in castra cohortes
569 se sensere premi, frustra sua coepta, dolosque
570 conatae ad finem perducere : nec sibi Thracis
571 limen ad Odrysium portae superesse receptum :
572 quare avidus turbarum auctor, rerumque novarum,
573 quo prodente olim regnandum accepit Alexis
574 imperium et patria exegit Nicephoron in urbe.
575 "Non armis opus est, non viribus, inquit Achilles,
576 o cives : quod quisque sibi, spesque una salutis
577 suadet iter, celer arripiat, seque ipse periculo
578 subtrahat incolumem nec vocem, aut ulla moretur
579 jussa ducum : cladem ingentem namque Italus illinc,
580 hinc Gallus fronti incumbens, tergoque minatur."
581 Talia dicentem, Graiosque in tuta vocantem
582 opprimit acer eques portis emissus apertis
583 atque illum agnoscens procerum corpore et armis
584 indutum variis et clara voce canorum,
585 accurrens Calabri generosa a stirpe Bryenni
586 Aegilus, impacto medium discriminat ense.

587 Ille cadit, multoque humectat sanguine terram.
 588 "I, nunc et dominos, scelus exitiale, potentes
 589 venali jam prode fide, data praeda jacebis
 590 alitibusque feris, canibusque voracibus", inquit.
 591 Mox hominem exosus penitus crudelibus explet
 592 suppliciis animum merito pro crimine sumptis.
 593 Inde abiens subit Alcathoum, juxtaque Menaetem
 594 et Chromim et Peucum et projectis Dorylon armis.
 595 Ast alia de parte Italum dux Appulus ense
 596 latum limitem agit, totoque ex agmine lecti
 597 corporibus passim caesis, agrosque, viasque
 598 consternunt juvenes, nec quisquam ex hostibus ausus
 599 praeterea Ausoniis inimicum obvertere pectus
 600 substitit, aut memor ipse sui, sociumve suorum.
 601 Ergo illi veluti pecora inter inertia tigres
 602 qua se cumque ferunt, certo dant agmina leto.
 603 Ut, cum prima aestas agros flavescere cogit,
 604 vividus et nusquam graciles alit humor avenas,
 605 nec pluvia nocturna sitim jam pabula sedant,
 606 omnia sed raucis resonant arbusta cicadis
 607 sole sub ardenti, postquam explicuere maniplos
 608 agricolae, frumenta metunt : jacet ilicet omnis
 609 fusa seges : campus sectis operitur aristis.
 610 At pueri, Medix, Umberque Ursanius albo
 611 vectus equo, galeaque caput contectus uterque,
 612 ambo annis, animisque pares, quos Daunius heros
 613 accierat secum nocturna ad proelia ductos,
 614 in confertam aciem gladios strinxere micantes.
 615 Hippophilum Medix et Halorum Ursanius, ultro
 616 dum verbis Graios, Thracesque hortantur et urgent
 617 in pugnam, certoque loco consistere cogunt,
 618 interimit Medix demisso in pectora ferro,
 619 at caput avulsum cervice Ursanius aufert.
 620 His alios, aliosque addunt et corpora gaudent
 621 fundere humi, gladiosque una maculare, manusque.
 622 Ut primum gemini florenti aetate leones,
 623 postquam visceribus caesarum a matre ferarum,
 624 sanguineque expleri ventrem assuevere recenti,
 625 silvarum egressi latebris. Patremque secuti,
 626 invasere pecus, laeti committere caedem,
 627 dant stragem atque avidi dentesque, unguisque cruentant.
 628 Jamque Oriens totum radiis patefecerat orbem ;
 629 cum tuba Goffredi jussu desistere coepto
 630 clara jubet, prohibetque ultra procedere pugnam.
 631 "Non huc, ut Graios patriis pellamus ab oris
 632 atque animum effuso saturemus sanguine Thracum
 633 venimus, o proceres, nobis satis inde, superque
 634 poenarum exhaustum, reliquis ad patria tutus
 635 moenia sit redivus." Dixit Goffredus et una
 636 assensere omnes, sed enim densata juvenus
 637 Gallorum Ausoniis acies sociarat amicas ;
 638 inque urbem invitis ductoribus acta ruebat.
 639 Nuntius interea Regis perfertur ad aures
 640 Odrysii et trepidis implet rumoribus urbem :
 641 scilicet innumeros cives cecidisse, ducesque
 642 et nunc Ausonios, cunctosque uno agmine Gallos,

643 omnia quamprimum ferroque, ignique daturos
 644 adventare animis immani ardentibus ira.
 645 Ergo alii ad portum celeres, navesque paratas
 646 tendere et ignotis sese committere Ponti
 647 cautibus, ac silvis : alii tellure sepultas
 648 abdere opes, fidisque aurum mandare latebris,
 649 pocula, cristallum, vestes, gemmasque nitentes.
 650 Multi etiam sacris natos, sua pignora, templis
 651 credentes, miseris rumpebant questibus auras.
 652 Nulla domus, via nulla novo non mista tumultu :
 653 hostiles quasi jam ruerent in tecta cohortes ;
 654 atque antiqua Lygos flammis absumpta jaceret
 655 et flueret sanguis manantibus undique rivis.
 656 Audiit exanimis, tristisque exterrita fama
 657 Irene, veterum claro sata sanguine regum.
 658 Quae quamvis Thraci conjux optata tyranno
 659 contigerat, thalamumque volens, lectumque jugalem
 660 innumeros concordi animo sociarat in annos ;
 661 Graiorum ritus tamen usque exosa rebelles
 662 protinus a prima pietatem aetate colebat,
 663 quam prisca docuere patres ; docet ipse per omnes
 664 terrarum tractus constanti mente colendam
 665 Christicolum custos, immensique arbiter orbis
 666 Romanus genitor rerum cui summa potestas.
 667 Illa igitur postquam tantum impendere periculum
 668 Graiorum, Thracumque urbi maestissima vidit,
 669 extemplo ad Superos palmas utrasque tetendit
 670 et genibus flexis, sparsoque in terga capillo,
 671 ante pias, quas rite domo interiore locatas
 672 Virginis intactae partu sacraverat aras,
 673 procumbens imo voces e pectore fudit.
 674 "Diva parens, cui se totus patefecit Olympus,
 675 aligerumque chori sublimi ex aethere missi
 676 nocturnum insueto complerunt aera cantu,
 677 cum primum in teneras veniens se protulit auras
 678 filius aeterni patris : quem Nuntius ales
 679 militia ex alta lectus praedixerat olim
 680 intactam completurum tibi protinus alvum.
 681 Si te umquam movere preces castaeque, piaequae
 682 ullius, auxiliumque ultro miserata tulisti,
 683 affer opem lapsis, Virgo sanctissima, rebus
 684 et procul o, tantam nobis averte procellam,
 685 jungens belli percusso foedere in unum
 686 Graiosque, Ausoniosque duces, Gallosque feroces,
 687 qua tota immanes Asia depellere Turcas
 688 possint et certam Solymis afferre salutem."
 689 Audiit et tanti partem succedere voti
 690 Virgo dedit : partem effundi permisit in auras.
 691 Threicia ut Gallos, Italosque averteret urbe
 692 annuit at Graios furiata foedera mente
 693 jungere non vetuit, fraudesque ex more parare.
 694 Namque ut erat pedibus nudis, lacrimisque decoras
 695 interfusa genas, thalamum maestissima conjux
 696 conjugis intravit, solasque ita fatur ad aures.
 697 "Non ego consilium, Dux invictissime Graium,
 698 afferre in medium veni : nec, si qua Senatus

699 instituit concors, ausim impugnare : maneto
700 immotum quicquid tua mens et certa voluntas
701 immotum esse jubet (quamquam o !) sed caeca sequantur
702 majores consulta patres, res poscere praesens
703 praesentem me cogit opem, jam moenibus instat
704 effusus castris Gallorum exercitus omnis.
705 Et, nisi suppliciis, precibusque represseris hostes,
706 direptasque domos, spoliataque templa videbis,
707 inque tuos adigi natos, mea viscera, ferrum."
708 Dixerat et lacrimis manantibus ora rigabat.
709 Atque illam verbis sic est affatus Alexis,
710 arcanum occultans imo sub pectore sensum.
711 "Jamdudum, o nostri pars jucundissima lecti
712 Irene conjux, cui summam credere regni
713 et rebus spectata fides atque anxius in nos
714 cogit amor, nec non ingens prudentia, certos
715 misimus, hostiles precibus qui mitibus iras
716 extinguant, pacemque petant et nomine nostro
717 excusent tanto maculatam crimine noctem.
718 Quoque magis, quae nos volumus, confecta reportent,
719 ductores una Gallorum adjunximus omnes,
720 quos olim imperii fines hostilibus armis
721 protinus ingressos acres cepere Liburni
722 et vinctos misere novam Byzantis ad urbem.
723 Unde hodie primum recluso carcere laeti
724 discessere omnes, ostrumque, aurumque ferentes,
725 munera principibus, farrisque albentis acervos,
726 dona laboratae Cereris : queis addere visum est
727 de Methymnaeis liquentia vina racemis :
728 nec non et domita nondum cervice juvencos,
729 tergaque caesa suum, vestesque in vulgus inemptas :
730 multaque praeterea, qua postulat usus et una
731 ire sacerdotes omnes longo agmine jussi,
732 supplicis in morem populi, manibusque gerentes
733 sublimem praeferre crucem : cui fixus inhaeret
734 rexque, paterque hominum Christus Deus : eque repostis
735 templorum eductas adytis, arisque verendis
736 effigies Divum, vitae simulacra beatae ;
737 ossaque reliquias Procerum, cineresque piorum,
738 pro clypeis, densisque hastis obtendere sacros
739 et precibus certam, lacrimisque exposcere pacem
740 nec tamen interea multo non milite circum
741 servari obsessae muros mandavimus urbis :
742 debeat ut jam vis non ulla externa timeri.
743 "Aude ergo, o conjux, rebus confidere nostris :
744 nec tantos tibi finge metus : mihi multa supersunt
745 millia, quae campis ineant certamen apertis,
746 si sit opus, patriasque domos tueantur et aras."
747 His dictis, Irene animum laetata recessit,
748 Quo se mane pius consueta ad sacra sacerdos
749 indutum lino, tunicaque albente pararat.
750 Interea castris Gallorum egressa juvenus
751 venerat Odrysiae vicina ad limina portae
752 et fors ingenti prostratis ariete muris
753 illicit irrumpens tremefacta incenderet urbem,
754 obvia ni patrum series et turba piorum

755 nuda pedes, supplexque oculis lacrimantibus iras
756 diminuunt, positaque animos feritate retundant.
757 Nam quos nec procerum voces potuere, nec ulla
758 jussa ducum subita revocare a caede furentes,
759 excidioque urbis, ditisque cupidine praedae,
760 cum primum videre Crucis venerabile signum,
761 ardentis cecidere animi, compressus et omnis
762 impetus et cuncti genua inflexere manipuli
763 abjectis ad terram armis (mirabile visu).
764 Hic vero laetis exceptus vocibus Ugon,
765 et plausu, fremituque virum, sic laetus ab alto
766 fatur equo. "Non ista Dei sine numine certo
767 eveniunt, qui nunc iras crudescere vestras
768 non sinit et saevos quamprimum invadere Turcas
769 nos monet : atque acres stimulos sub pectore vertens
770 votorum immemores, animique incusat inertis,
771 otia qui passim ducendo ingrata, moremur
772 solvere Pontifici, quod jam promisimus et quod
773 unum se debere Deo mens conscia cuique est.
774 O socii, en vobis, quos dudum Argivus Alexis
775 carcere conclusos summa retinebat in arce,
776 adsumus incolumes cuncti, ferimusque vicissim,
777 quae tantis addant immensum rebus honorem,
778 atque incoepa juvent fidei concredita nostrae.
779 Namque offert rex ipse suas in proelia vires
780 et facto unanimes sociari foedere dextras
781 ipse petit, parsque esse cupit non parva laborum
782 tantorum, nobis quos impendere videmus,
783 cum primum Syriae fines exercitus intret."
784 His dictis acies confestim iter omne relegit,
785 ductores comitata suos : illisque diebus
786 Threicias arces nullis et castra negatum est
787 visere et Odrysios impune errare per agros.
788 Ipsi etiam in speciem contractae foedere pacis
789 ad caenam proceres iterumque, iterumque vocati
790 venere ex castris in regia tecta frequentes,
791 hospitio et dubiis ausi se credere mensis.
792 At rex eventu rerum deceptus et expes,
793 viribus indubitansque suis, timidusque futuri,
794 vertitur huc animo atque illuc, placitumque recusat
795 consilium in Thrace Gallosque, Italosque morandi.
796 Ergo alias imo vertit sub pectore fraudes :
797 quarum ope se, Graiosque suos formidine solvat
798 praesenti et proceres Arabis concedat in astus.
799 Jamque epulis inter citharas, cantusque peractis,
800 postquam exempta dies placido sermone, poloque
801 postera nocturnas Aurora fugaverat umbras,
802 accitos ad se verbis affatur amicis.
803 "Audite, o proceres, animisque haec figite vestris.
804 Turcarum (ceum fama fidem vulgata reportat)
805 ductor ad Euphratem trepidus confugit, ut illinc
806 evocet in Syriam Persas, Arabasque rebelles,
807 versurus totas in vos uno agmine vires,
808 quas vel in extremis oriens Sol aspicit oris.
809 Hinc igitur, Graio si qua est prudentia regi,
810 si qua fides verbi, si quis rerum insitus usus,

811 corripienda via est : ne qua mora tardior obsit.
 812 Nos classem ingentem dabimus, lembosque paratos,
 813 tertia cum terrae lux orta retexerit orbem.
 814 Quin et consilio tanta haec incoepta, manuque,
 815 auxiliisque novis, fulvoque juvabimus auro,
 816 cum primum Syriis exercitus ingruet oris,
 817 invadetque altas Turcarum interritus arces.
 818 Hanc ultro sine fraude fidem damus ; hoc libet ambos
 819 foedere vinciri populos socia arma ferentes :
 820 communem communi animo oppugnemus ut hostem."
 821 Dixerat et superi Regem testatus Olympi
 822 in templum perrexit, ubi multo ante sacerdos
 823 facturus sacrum sollemnem ornaverat aram :
 824 inque vocaturus demissam ex aetheris oris
 825 sanctam Auram, Graiorum Auram de more vocatam.
 826 Quae simul ac populos perfecta ex ordine sensit,
 827 discessere omnes, seque in sua tecta tulerunt.
 828 At rex Threicius multis comitantibus ibat
 829 nunc septem ostentans surgentem in collibus Urbis,
 830 marmoreasque aedes, factosque ad publica circos
 831 munera, cum ludos exercet laeta juvenus :
 832 nunc templum aeratis centum sublime columnis,
 833 templum immane, ingens, gemmisque, auroque superbum,
 834 aequatum vasti superis opus aetheris oris,
 835 vix ope mortali, vix ullo imitabile saeclo.
 836 His etiam Pario surgentes marmore thermas,
 837 sublimesque arcus atque aere rigentia signa
 838 addit et Hippodromi spatia, immanesque colossos
 839 et tripodas Phoebi, serpentisque ora trifaucis,
 840 magnanimumque olim monumentum insigne Laconum.
 841 "Atque haec victore, inquit, posuere Pelasgi,
 842 unanimis bello Medos cum Graecia fudit ;
 843 et Pelusiacis raptos avexit ab oris,
 844 aetas quos Soli sacrarat prisca obeliscos.
 845 Mox et multiplici substructum fornice pontem,
 846 nec procul astantem fulgenti ex aere draconem
 847 ostendens, matres celebrant ubi sacra Mimanti,
 848 subjicit. Hic steriles (Divi quae gratia) saepe
 849 senserunt gravidum laetae turgescere ventrem,
 850 ni precibus numen surdas obstruxerit aures.
 851 Hinc portum invectos, similem cui nullus in orbe
 852 vidit adhuc, quamvis tutus secreta Monaecus
 853 ostia, et immota jactet statione recessus,
 854 Euxini juvat angustas invisere fauces
 855 et loca delectis lustrata heroibus olim ;
 856 quorum etiam nunc Hesperias vulgata per oras
 857 circumfert meritos fama immortalis honores.
 858 Hic Amycum Pollux immani corpore victum
 859 Tyndarides prostravit humi, Bebrycasque furentes
 860 amissum ob regem, ferro exstinxere Pelasgi
 861 et laeti praedam ad naves egere recentem.
 862 Fluctibus hic iidem jactati, atrisque procellis
 863 pervenere oculis orbatum ad Phinea, quem tum
 864 vexabant raptis epulis ex ore, manuque
 865 Harpyiae immundo foedantes omnia tactus.
 866 Sed gemini juvenes, Boreae fortissima proles,

867 obscaenas Erebi volucres pepulere fugatas.
 868 Ipse autem meriti Phineus haud immemor hujus
 869 edocet ignaros Minyas cursusque, viaeque,
 870 qua ratione queant truculentum irrumpere Pontum
 871 Cyaneas inter cautes, dum fluctibus actae,
 872 altera in alterius frontem defertur et imas
 873 suscitatur in caelum pelago exsultante procellas."
 874 Talia narrabat prisca non inscius aevi
 875 rex Thracum et proceres ad facta illustria, magno
 876 tantarum imprudens laudum inflammabat amore
 877 et simul Odrysiam laetos revehebat in urbem.

LIBER SEXTUS

S_6 v.1 Jamque adeo terras primis nox atra tenebris
 2 induerat, praicepsque loco demiserat umbram,
 3 cum proceres, lectique duces in castra reversi
 4 consilio referunt Thracis promissa tyranni
 5 et firmata palam constanti foedere pacta,
 6 quae vulgi fremitu, varioque agitata coronae
 7 assensu, passim expendi non vocibus iisdem,
 8 non animis sunt coepta. Velut cum turbidus Auster
 9 adversa caeli veniens a parte lacessit
 10 aequor et in pugnam Boream vocat, ille ab alto
 11 cardine prorupit, medio se marmore fluctus
 12 incursant, dubitatque maris, cui pareat, unda.
 13 Quae pater Addemarus (namque illi cura sacrorum
 14 et tantae fuerat molis commissa) volebat
 15 unius ad certos nutus et jussa referri.
 16 In mediis ergo ductoribus haec ita fatur.
 17 "Cuncta equidem, o proceres, patrio quos orbe profectos
 18 diversos variae claram Byzantis ad urbem
 19 potavere viae, bello quaecumque gerendo
 20 confieri possunt, cura confecta, fideque
 21 esse reor. Non vos ullae glaciesque, nivesque,
 22 fluminaque et montes : rapido non Sirius aestu
 23 difficilesque aditu valles, altaeque paludes
 24 non Graium insidiae, non tela adversa, facesque
 25 tantum iter ingressos usquam potuere morari.
 26 Nunc autem, quando incolumes pervenimus omnes
 27 Thracis ad imperii fines et litora Ponti,
 28 quisque suum, cui tum libuit parere, Secuti
 29 Ductorem, patriae dulces cum liquimus oras,
 30 inque Arabas, Turcasque pii decrevimus arma,
 31 quamprimum ex tantis proceres, ductoribus unum,
 32 quod superest, clarum virtute et fortibus ausis
 33 praestantem, rerum cunctarum imponite summae,
 34 consilioque gravem : quem solum exercitus omnis
 35 spectet et is pacis, bellorumque arbiter esto.

36 Ergo huc, susceptum vobis nisi forte laborem
 37 frustrari et tantas incassum absumere vires
 38 vos juvat, unanimes incumbite. Namque ibi nullus
 39 imperat, imperio multorum ubi quisque necesse est
 40 pareat atque anceps nunc hinc, nunc pendeat illinc.
 41 Quod si aliquem inter vos (Deus hoc avertat in hostes
 42 infandum crimen) nostrae nec cura salutis
 43 exercet, nec tangit honos, nec gloria ducit,
 44 nec pudet Arabiis victum dare terga, Syrisque
 45 atque idem nostra campos spectare calentes
 46 caede potest, servumque jugo submittere collum,
 47 ille abeat coetu ex tanto. Vel, si sibi primum
 48 attribui cupit ipse locum potiora merenti,
 49 prodeat et tali dignum se ostendat honore.
 50 Sic autem, quod vos potius praetendere fas est,
 51 Abdaridas petitis, patriam repetatis ut olim
 52 totius spoliis opibusque Orientis onusti,
 53 aut etiam, ut regnis multo sudore paratis,
 54 externis sedem laeti ponatis in oris,
 55 procurate viri, quod nos Deus admonet unum
 56 atque unum fieri res ipsa et suadet et urget."
 57 Haec pius Addemarus, tacitumque per ora virorum
 58 murmur iit, qualem in silvis, cum flabra Aquilonum
 59 paulatim incipiunt frondes agitare virentes,
 60 audimus fremitum : qualemque ad curva fragorem
 61 litora, cum primum crispantur leniter undae,
 62 jamdudum Zephyris bellum meditantibus, edunt.
 63 Sic illi inter se tractim resonante susurro
 64 consessum dubii variis rumoribus implent,
 65 ancipitesque animis : partim in diversa trahuntur,
 66 partim autem coeptis aequata forte manendum
 67 censent : praeteritus ne quisquam ex ordine tanto
 68 Gallusve, Ausoniusve piis discedat ab armis.
 69 Quandoquidem non de levibus consulta petebant
 70 rebus at egregium decus et pernobile regnum
 71 in medio positum fuerat virtute parandum.
 72 Hinc dux Carnutum Stephanus, ne forte tumultus
 73 glisceret atque avidas vulgi ferretur ad aures.
 74 "Quod pius Addemarus, proceres, modo censuit, inquit,
 75 esse potest nulli dubium, res publica numquam
 76 non eversa perit, quam vulgi aequata potestas
 77 huc trahit atque illuc : medio nec in aequore fluctus
 78 surgere majores, navesque illidere suerunt
 79 ad scopulos, vastisque actas demergere in undis,
 80 quam cum bella gerunt adversis viribus Euri
 81 spirantes, seque hinc illinc superare volentes.
 82 Sic virtus, quamquam duris exercita rebus,
 83 si quando erumpens sese in contraria transfert,
 84 communem avertit populi malesana salutem,
 85 nec quicquam ratione geri sinit. Hic ego nullum
 86 esse reor vestrum, cui tantae imponere molis
 87 non possitis onus, si nos spectare necesse est,
 88 quam quis bellando laudem meruisse feratur.
 89 Nam nemo inter vos ferro non perculit hostem :
 90 non murum ascendit victor : non castra locavit.
 91 Delecto vallata loco : non contulit ausus,

92 conseruitque manus : dubii non cetera martis
 93 munia sustinuit : quorum se gloria caelo
 94 infert et famam veniens extendit in aevum.
 95 Quo circa, o proceres, quando unum agnoscimus omnes
 96 Gallorum regem, primi cui dentur honores,
 97 Ugontem, nam frater is est, cognomine magnum
 98 divitiisque, opibusque et nobilitate potentem,
 99 ductorem nostri jam nunc suffragia coepti
 100 vestra legant, pacisque optent, bellique magistrum."
 101 Ille haec Tullingo jamdudum infensus et acri
 102 invidia pectus, stimulisque agitatus amaris.
 103 Ast Hugon. "Procul esto, inquit, tam dira cupido,
 104 ipse ut, militia qui numquam exercitus ulla
 105 praeteritum duxi juvenile inglorius aevum,
 106 praeficiar bello, tantisque heroibus, immo
 107 haec mea quo vobis melius sententia constet ;
 108 nec prae eo certus cuiquam, nec subsequor ullum,
 109 praeter eum, quem summa pii prudentia primum
 110 Pontificis rerum summae praefecit euntem
 111 in bellum, capiti imposuit cum tegmen et ense
 112 ipse suis manibus Goffredum accinxit acuto."
 113 Dixerat haec, placidusque sua se in sede locarat.
 114 Tum Robertiades Italum dux talia fatur.
 115 "Ipse quidem, o proceres, magnus quem destinat Hugon
 116 imperio et tanto dignandum munere censet,
 117 cum primum Ausoniae patrio de litore cessi,
 118 huic uni solum veni parere paratus.
 119 Et nunc mens eadem perstat mihi : nec putet inter
 120 tot proceres quisquam fatis et sanguine clarus
 121 se fore, qui nostri legionibus imperet et me
 122 parentem speret dictis. Ego nullius umquam
 123 imperio regar alterius, neque jussa facessam.
 124 Ipse hujus mihi dux belli certissimus esto
 125 Goffredus, quem sponte sequar quocumque vocarit."
 126 Haec ille atque altum spirans consedit. At olli
 127 concordem legere Ducem, quem Daunius heros
 128 jusserat ; ille autem suscepto munere tanti
 129 imperii et tacito volvens in pectore magnos
 130 curarum fluctus. "Faxit Deus optimus, inquit,
 131 prospera sint, nobisque ferant haec acta salutem.
 132 Ergo ubi terrarum lux orta reviserit orbem
 133 crastina et humentem caelo dimoverit umbram.
 134 Dum sacra propterea peraget consueta sacerdos,
 135 suppliciter votis Superum regemque, patremque
 136 oremus, quo nostra volens incoepta secundet."
 137 Haec ait et populos inter diffusa repente
 138 fama volat dubios tanto in molimine rerum :
 139 illicet et certa cunctis spe pectora complet :
 140 laetitiaque fremit, plausuque exercitus omnis.
 141 Tum vero sua quisque petunt tentoria laeti,
 142 instaurantque animos epulis et corpora curant :
 143 hibernam vario noctem sermone trahentes.
 144 Interea, heroum cum jam conventus abisset,
 145 protinus Odrysii Goffredum ingentia regis
 146 flagitia et Graiae secum mendacia gentis
 147 versantem, ac duro recubantem in stramine, totum

148 complexus fessos altus sopor irrigat artus,
149 visa dehinc medio faciem circumdata nimbo
150 Ida parens summo descendere vertice caeli
151 atque atrae tenebras oculis depellere noctis :
152 mox etiam apprensum dextra super aeris oras
153 sublimem rapere et longe tellure relictas
154 sedibus inferre aethereis stellantis Olympi :
155 unde mare et terras late sub utroque jacentes
156 vertice despiciunt, vel quas surgensque, cadensque
157 hinc atque hinc, media collustrat lampade Phoebus.
158 Ille autem admirans, "Quo me sanctissima mater
159 ducis, ait ? Quo ve ire jubes ? Statuisve timentem ?"
160 His dictis, Ida has laeto dedit ore loquelas.
161 "Nate oculi, vitaeque mea mihi carior ipsa,
162 cum pariter quondam vitaeque et luce fruebar :
163 hic locus illorum patria est, qui vulnera passi
164 pugnando pietatem armis coluere, Deoque
165 addixere uni mentes, quae corporis hujus
166 carcere disclusae obscuro et compage soluta,
167 haerentes postquam maculas caelestis adedit
168 ignis et invectum longe scelus omne removit,
169 haec in templa volant celeres : quo te quoque fas est
170 quattuor aetherius cum Sol expleverit orbes,
171 conferre atque iterum laetas invisere sedes.
172 Nate adi huc animo, susceptum et omitte timorem.
173 Quaeque loquar, cape dicta memor : solatia namque
174 condita mente ferent, Ambas age dejice luces
175 nate tuas, terramque oculis metire, fretumque.
176 Aspice quam parvo complectitur omnia parvus
177 orbe globus, quam nec guttae globus instar aquai.
178 Pro cuius nate imperio tot deinde labores
179 suscipere et latos perfundere sanguine campos
180 vos juvat. Heu miseri, non hos concessit in usus
181 arma Deus, vestra ut rigidum per viscera ferrum
182 transeat et fulva caesorum sternat arena
183 corpora regnandi causa : sed ut, impia quae sunt
184 corda hominum ad cultum revocent, ritumque piorum,
185 Christicolumque adeo fines tueantur et aras :
186 in caelum quae certa via est, coetusque beatos
187 heroum insontis vitae et sine fraude peractae :
188 qui nunc astra colunt laxati corpore et illa,
189 quae lucet oculis, hic luce et caligine mersa,
190 viventes vitam, quae vita simillima morti est,
191 aut etiam mors ipsa. Etenim quid amabile tandem
192 ipsa habet et sensu quod non perfundat amaro,
193 inficiatque atris inter sua gaudia curis ?
194 Namque ut vos votis damnet Deus omnibus, ipsi
195 protinus angustos fines tamen addidit aevo :
196 nec quicquam esse diu voluit, quod terminet usquam
197 certa dies, rerumque adeo immutabilis ordo.
198 Omnis enim ad nihilum recidit, cum praeterit, aetas."
199 "Ergo hic quandoquidem, genitrix mea, vivitur, inquit
200 Goffredus, veraque bonis in luce fruuntur
201 cum primum licuit hujus decedere taetro
202 corporis hospitio et Divum felicibus addi
203 consiliis, stellas pedibus, caelumque prementes,

204 quicumque innocuis agitantes legibus aevum
 205 mortales, Christi norunt se morte redemptos :
 206 Quid moror in terris, quin has ego pergere ad oras
 207 aetherias propero, densasque exire tenebras ?"
 208 "Non ita, namque etsi (genitrix exceptit) ab alto
 209 in corpus depressi animi, quos ipse creavit
 210 aeternus genitor, rerum inviolabile numen,
 211 corporis exsolvi vinclis et carcere caeco
 212 impense interdum cupiunt, ad eumque reverti,
 213 unde prius venire, tamen se jungere sese
 214 haud licet injussu Superumque, hominumque parentis :
 215 qui nullum, nisi quem vita spoliaverit ante
 216 ipse volens, patrio patitur succedere caelo.
 217 Quando etiam mortale hominum genus hac sola terra
 218 lege colunt, ne quisquam aestus, ne frigora et imbres,
 219 atque sitim, duramque famem, saevosque labores
 220 turpiter oblata fugiat sibi morte, locumque,
 221 miles ut ignavos, venienti deserat hosti.
 222 Multa prius subeunta tibi, superandaque restans
 223 militiae, quam stellantis te regia caeli
 224 accipiat reducem atque optata in sede reponat.
 225 Oppida principio, quae tu jam rere tuorum
 226 capta manu, cernes fervere hostilibus armis,
 227 sanguineque effuso fluvios manare perennes
 228 et ferro absumptas passim cecidisse dolebis
 229 Germanorum acies fidi ductoris egentes
 230 ante, queas quam densa urbem expugnare corona
 231 hic, ubi Mysorum piscosa feracibus agris.
 232 Inserit Ascaniae pulchrum caput unda paludi :
 233 sed, licet illa piis conata obsistere coeptis
 234 susceptum remoretur iter, viresque fatiget
 235 ausa tuas, veniam tandem, pacemque petenti
 236 ipse ignosce tamen, casusque averte supremos
 237 et scelerum comiti saevo moderare furori.
 238 Hic olim Pharium praecepta infanda docentem,
 239 cujus inaccessos sensus male sana cupido
 240 impulerat diro pietatem afflare veneno,
 241 rite refutatum tercentum ex ordine sancti
 242 damnare patres : damnatum ea poena secuta est
 243 protinus, effusa qua viscera proruit alvo
 244 omnia et ultrices vitam exhalavit in auras,
 245 infernasque domos, sedesque Acherontis avaras.
 246 Mox animo tristis, sed vultu interritus amnem
 247 permixto Sagarim spumantem sanguine cernes
 248 et simul indigna miserorum caede gementem
 249 in mare purpureum pronos evolvere fluctus.
 250 Tempore quo rebus properans afferre salutem,
 251 Ausonios, Gallosque una ulciscere peremptos,
 252 devictosque Arabas longe in deserta repelles,
 253 et spoliis, opibusque tuos ditabis opimis.
 254 Hinc via difficilis, saxosisque aspera clivis,
 255 desertique situ colles et inhospita tellus
 256 exceptos una pedites vexabit, equosque.
 257 Nam neque gramen erit, tenui nec rivus aquae vi
 258 dulce viatori lasso in sudore levamen,
 259 cum venit et terram sicco sputat aridus ore,

260 non puteus, non collecto vetus imbre lacuna,
 261 corpora quae recreet longinquo exhausta labore.
 262 Quin aestu ingenti passim laxata fatiscent,
 263 felicesque animas reddent caelestibus oris.
 264 Tu vero, Goffrede, animo ne defice et instans
 265 urge iter incoeptum, brevis est mora, jam tibi praesto
 266 frigidus Hermus adest et Mysi lympha Caici
 267 atque in se refluens ripa Maeandrus opaca :
 268 quique amnes alii summo de vertice Amani
 269 praecipitant, celeresque secant frigentibus undis
 270 Pisidiae campos, laeto quos ubere glebae
 271 oppida vasta tenent Lyrbe, Termissus et olim
 272 Selga ingens celebri fama atque aequissima factis.
 273 Nunc prostrata solo, magnisque oppressa ruinis
 274 cuncta jacent, nullique situm, nec nomina norunt.
 275 Et miseri nobis mortem impendere dolemus,
 276 infelix hominum genus et cui vita caducis
 277 frondibus assimilis, Boreae quas aura furentis
 278 perculit autumnus sub finem abeuntis et omnes
 279 illicet et campis et montibus abstulit umbras.
 280 Sed vos nate diu terris his forte morantes
 281 incastigatos Rex haud sinet aetheris alti.
 282 Tu casu in tanto plagas perferre memento
 283 aequus et usque Deo grates age nate, nec ullis
 284 ulla loci facies segnem remoretur in oris,
 285 donec ad angusti vallem delatus Orontis
 286 constiteris, ubi longa urbem obsidione premendam,
 287 sanguineque et multo vobis sudore domandam
 288 nuntio, namque fames et hiems glacialis et ingens
 289 caelo emissa lues acies rarescere coget
 290 Hesperias, multosque dabit letoque, fugaeque.
 291 Quin te etiam Gallique duces, primique tuorum
 292 destituent, fugientque altam Byzantis ad urbem
 293 votorum immemores : tamen obdurata manebit
 294 lecta virum virtus, belloque assueta gerendo.
 295 Sed non et mansisse volet, tantae undique vires
 296 advenient : caelumque tegent, Solemque sagittae.
 297 Hic animis opus est : hic et victricia castis
 298 poscere signa Deum precibus. Vos pergite muros
 299 ipse dabit superare urbis, Persasque rebelles
 300 fundere et innumeras venientum infringere turmas.
 301 Interea fraterque tuus Baldunus et acer
 302 Tancredus circum populos in jura, fidemque
 303 diversi redigent : saevos Tancredus Isauros
 304 et Cilicum gentes : felix Baldunus opimam,
 305 Euphrates alto quam flumine lambit, Edessam.
 306 Opprimet et madidas Romano sanguine Carras.
 307 Ipse autem ducente Deo, paucisque relictis
 308 tantarum e numero legionibus, ibis Idumem,
 309 ne dubita, Solymanque urbem expugnabis adortus
 310 hic te autem consensu uno populique, patrumque
 311 regem appellabunt proceres : apicemque volentes
 312 imponent capiti. Tu parti insignia regni
 313 rejice nate procul, non illa cingere crinem
 314 urbe decet rutilantem auro, gemmisque coruscum,
 315 in qua olim spinis Christus Deus, arbiter orbis,

316 pulchri opifex mundi, regum Rex impia passus
 317 haerentem fronti gessit paliuron acutis.
 318 Sceptrum igitur, Goffrede, alios, regnique coronam
 319 ferre sinas ostro insignes, auroque superbos.
 320 Tu populis dare jura tuis, legesque memento,
 321 debellare hostes, placidusque ignoscere victis,
 322 tum sensim replere animos pietatis amore,
 323 divorumque aedes una instaurare labantes
 324 et patres munire opibus ; queis sacra, diesque
 325 sint curae atque aris sueti reddantur honores.
 326 Quoque haec ipsa magis properes : vix integer anni
 327 mensibus exactis vertens explebitur orbis,
 328 aérias ex quo Solymorum coeperis arces,
 329 ardua cum caeli reditus tibi ad astra patebit,
 330 atque haec nobiscum mortali lege solutus,
 331 quae nunc sub pedibus praesens miraris et optas
 332 jam tibi certa dari, stellantia claustra tenebis."
 333 Hic matrem aspiciens laeto sic pectore fatur
 334 Goffredus. "Quando, o mater, mihi tanta parantur
 335 gaudia defuncto bellique, viaeque periclis,
 336 atque aditum ad vasti patet hic quasi limes Olympi,
 337 quamvis clarorum semper vestigia patrum
 338 ante etiam institerim, decorique ego gentis avito
 339 desuerim numquam, tamen hac mercede laborum
 340 proposita, enitar posthac vigilantius et me
 341 omnia jam rerum perferre adversa juvabit,
 342 delictis quaecumque meis infensa minatur
 343 ira patris summi, qui fons et vita bonorum est ;
 344 incolumem liceat Solymos modo visere colles,
 345 expulsis illinc Turcarum, Arabumque tyrannis.
 346 Sed tu sancta parens (namque haec noctesque, diesque
 347 urit atrox animum cura atque infesta recursat)
 348 unum etiam, si justa peto, si pandere fas est,
 349 quae ventura vides, unum hoc effare precanti.
 350 Postquam parta manu belli victoria nobis
 351 cesserit et nostra Solymi ditione regentur ;
 352 imperiumne Deus veniens producet in aevum
 353 et loca Christicolis propria haec regnanda relinquet ?"
 354 Haec pius Eustachides ; mater cum talia rursus
 355 Ida refert. "Quodcumque rogas Goffrede parentem,
 356 ipse Deus, series uni cui nota futuri,
 357 nil hodie te scire vetat. Sub regibus ergo,
 358 qui tibi non longo succedent ordine, totos
 359 octoginta octo Solyme regnabitur annos.
 360 Flagitiis sed enim nostrorum infecta nefandis
 361 et vexata diu procerum discordibus armis,
 362 horrebit Pharias rursus superata secures :
 363 exactisque procul Gallisque, Italisque videbit
 364 Abdaridae parere Asiam, Thracemque superbam ;
 365 inque potestatem Turcarum, inque impia cogi
 366 jura, suo quicquid terrarum interfluit ingens
 367 flumine Danubius. Quin illi, ubi litore sedem
 368 Threicio et veteri Byzantis in urbe locarint ;
 369 Illyrii, Macedumque arces atque oppida Graium
 370 cuncta sub imperium redigent, immane minantes
 371 exitium Europae populis, quicumque supersint.

372 Saepe etiam magnis ausi dare classibus Austros,
 373 Ioniumque, Aegaeum sub ditione tenebunt.
 374 Scilicet et nostri poterunt spectare nepotes
 375 in sua paulatim grassantem viscera pestem ;
 376 dum se odiis, armisque palam consumere pergunt,
 377 horribiles nullis cohibentes finibus iras.
 378 Ergo, inquit pius Eustachides maestissima densis
 379 ora, sinusque rigans lacrimis, tot regna, tot urbes,
 380 tot castella manu nostra expugnata, jugoque
 381 erepta ex Arabum, rursus rapiuntur in arta
 382 vincula et Abdaridum jussa exsecranda facessent ?
 383 Nec nostra, o mater, nascetur origine quisquam
 384 corde vicens, gratusque Deo, qui nobile bellum
 385 suscipiat, Turcasque manu qui deleat hostes,
 386 restituatque Deo populos, quos impius olim
 387 abstulit Abdarides, secumque in tartara ducit ?"
 388 Tum mater nati dextram complexa loquentis.
 389 "Parce, ait, o, lacrimis, Goffrede, et comprime fletum.
 390 His quoniam dolor atque omnis metus exsulat oris.
 391 Una et certa queis animis laetissima nostris,
 392 numinis aeterno cuncta haec moderantis amore,
 393 illa quidem semper clemens, sed justa voluntas :
 394 unde aliquem se abstraxe nefas : (tandemque) suorum
 395 virtutis memores Galli et pietatis avitae,
 396 haud semel instituent armis invadere Turcas ;
 397 cumque his concordi veniens in talia dextra
 398 foedera, conjunget generosa Britannia vires.
 399 Atque haec arcentem toto de litore nostros
 400 vastabit Cyprum victrix, sceptroque potita
 401 externis regnum dominis concedet habendum.
 402 At Gallorum acies animis ingentibus urbem
 403 Phoenicum interea post longum tempus adactam
 404 in leges jurare suas et verba jubebunt ;
 405 imperioque caput statuent, sedemque labanti,
 406 expulsosque illic reges in scepra reponent.
 407 Sed Solymos iterum capere et sarcire ruinas
 408 amissi imperii poterit non ipse Britannus,
 409 quamquam audax, quamquam captis Jopesque, Tyrique
 410 arcibus et Phariis ingenti caede fugatis
 411 non Celtae, Belgaeque duces, licet ostia Nili
 412 audaces subeant ruptis reclusa catenis,
 413 atque Aegyptiacas urbes populentur et oras,
 414 inque Paraetonio defigant litore sedes.
 415 Immo etiam haud multo post tempore, Gallia regem,
 416 insignem pietate virum, pia bella moventem
 417 Abdaridis Libyae populis injussa sequetur.
 418 Sed neque tunc etiam tantis Deus annuet ausis.
 419 Nam Pelusiacas ut sese appellet ad oras
 420 ipse animo praestans, procerumque ingentia secum
 421 agmina habens, Arabum ductorem occiderit et mox
 422 Mendesii ditem sine sanguine coeperit urbem,
 423 multorum furiis, caecaque cupidine victus
 424 audebit Gallis funestam invadere Memphim
 425 sed caeli vitio, fluviique palustribus undis
 426 horrida cunctarum subito penuria rerum,
 427 atque lues interclusis, morbosque, famemque

428 afferet exoriens, coeptisque absistere coget,
 429 amissis misere Gallorum heroibus. At rex,
 430 quem mox ipse Deus Superum signabit honore,
 431 inde abiens, repetensque Syras inglorius oras,
 432 oppida restituet foedis collapsa ruinis :
 433 nequicquam. Aegyptus rupto nam foedere vires
 434 colliget : atque iterum nostris lacrimabile bellum
 435 incutiet, victrixque Tyro potietur, Acemque
 436 evertet, caput imperii, sedemque Latini,
 437 reliquias tanti incoepti, nec proderit Afras
 438 debellasse manu Gallorum regibus urbes,
 439 cervicesque jugo Libyae pressisse superbas.
 440 Cuncta iterum Abdaridum dextris subigentur et armis.
 441 Sic placitum Superum patri, qui sidera fulcit.
 442 Sed tamen exactos postquam volventibus annis
 443 sexcentae aestates, sexcentae ex ordine brumae
 444 addiderint decies centenis orbibus orbis,
 445 omnibus ex quo lux oculis est reddita nostris,
 446 nascentur pietate ingens, invictus et armis,
 447 qui bello aggressus populos contundet Eoos
 448 et Scythiae duras Libyaeque immittet habenas.
 449 Tum vero toto surget gens aurea mundo,
 450 aurea, sinceri quae servantissima cultus
 451 rite Deum precibus trinumque agnoscat et unum.
 452 Interea vesana lues, quam finibus ortam
 453 ipsa suis secum discors Germania primum
 454 mater alet ; mox invectam, lateque vagantem
 455 excipient gremio Allobroges, solioque locabunt.
 456 Inde autem quondam fidissima corda Britannos
 457 irrumpet toto descendens corpore pestis
 458 atque hic, atque illic nostras populabitur urbes
 459 immanis, Gallosque suo funesta veneno
 460 auferet et sanctis animos abducat ab aris."
 461 Haec indignanti similis, similisque dolenti
 462 dixerat Ida parens : cum jam Goffredus in iram
 463 exardens animis. "Ergo parietur inuri
 464 ipsa (ait) ipsa sibi furiis agitata nefandis
 465 dedecoris, scelerisque notam mea Gallia tanti ?
 466 Gallia, quae toties sumptis defenderit armis,
 467 jus Latii, cultusque patrum, ritusque piorum ?"
 468 Talibus orantem sic Ida exorsa vicissim
 469 solatur natum. "Tuscos, age, respice colles,
 470 Florentemque opibus vallem, cultuque frequentem,
 471 flumine quam vitreo dirimit Boeotius amnis
 472 Arnus et Etruscos cursu secat impiger agros.
 473 Hic olim nostro Morinum de sanguine surget
 474 femina, clarorum quae nobilitate parentum
 475 et forma et magnis animi virtutibus ingens
 476 anteeat longe veteres heroidas et se
 477 illustrem fama saeculis Catharina futuris
 478 constituet regum soboles, parituraque reges
 479 illa quidem, qui Gallorum moderentur habenas,
 480 atque ipsis Scythiae populis dent jura vocati.
 481 Namque erit, exoriens undam qua Vistula fundit
 482 et magno circum campos rigat amne jacentes,
 483 cum rege amisso regem sibi Sarmata prudens

484 Henricum asciscet, cujus se subdere dextrae
 485 audeat et fidei viduum committere regnum ;
 486 Henricum aetatis decus immortale futurae,
 487 virtutum specimen, magnorum et germen avorum
 488 nobile : cui nullus posthac pietate, vel armis
 489 par eat. Hoc, diros si qua est gens impia ritus
 490 quae colat, ipsa volens, mitte hanc de pectore curam,
 491 auspice deponet : seque incusabit et una
 492 sponte sua cultus dediscet laeta profanos :
 493 certatimque pias cumulabit honoribus aras.
 494 At parte ex alia justis premet Austrius armis
 495 seductos Belgas, magnisque erroribus actos
 496 in fraudem, bello deserta in castra reverti
 497 coget et in primis Romanum agnoscere Patrem :
 498 Romanum Patrem, sibi quem selegit et unum
 499 ipse suas tum cogere oves, tum pascere jussit
 500 aeternae lucis Christus Deus unicus auctor."
 501 Atque haec sedato mater dum singula vultu
 502 narrat, humi mentem atque oculos defixerat heros
 503 Eustachides, terramque tacens spectabat et undam
 504 et, quaecumque jacent extra faucesque, fretumque
 505 Herculeum, angusto quod Calpem interluit aestu
 506 atque Abylam, ignoti tunc ostia clausa profundi,
 507 nunc autem Hesperiiis adaperta et pervia nautis ;
 508 insulae in Oceano magno cum talia fatur.
 509 "Quae nam autem, nostris quae se discludit ab oris
 510 tam longe pars illa orbis depressa latentis,
 511 o genitrix, hominesne tenent, an saecla ferarum
 512 ingentes campos ? Pelagoque infracta sonanti
 513 litora ? Et excelso surgentes vertice montes ?
 514 Dicam equidem, terrasque tibi multo ante recludam,
 515 quam quisquam audaci sulcet vada caeca carina."
 516 Suspiciens sic Ida refert. "Quae, nate, tueris
 517 finibus a nostris longe distantia, nullus
 518 ausus adhuc adiit, nec quisquam aggressus adibit,
 519 ante quatercentum Solisque, annique recessus,
 520 tempore quo primum Ligurum decus et nova saeculi
 521 gloria pervadet numquam tentata Columbus
 522 aequora et Oceani sistet trans litora classem.
 523 Admiransque illic Orbis nova regna reposti,
 524 regna insperata et priscis incognita nautis,
 525 imperio et fidei regis committet Iberi.
 526 Mox extra Cancrique vias et sidera Librae
 527 praetergressi alii, priscorum errata parentum
 528 mirantes, mediam non ullo fervere ab aestu
 529 spectabunt zonam, nivibusque rigentia densis
 530 ardua terrarum et gelidis loca tecta pruinis.
 531 Divitis hic auri venas uberrima tellus
 532 innumeras habet et fulvae prope flumina arenae
 533 aurea secernunt passim ramenta legentes,
 534 qua mercede sagax confestim accurret Iberus
 535 undique et ingentes auri cumulabit acervos,
 536 explebitque opibus partis patriamque, domumque
 537 tum quoscumque alios aditu prohibebit ad oras
 538 inventas, unique votet sibi sumere totam
 539 nobilis incoepti laudem, fructumque laboris.

540 Etrusci tamen herois de nomine terram
 541 illam olim Ammerican aetas ventura vocabit :
 542 Etrusci herois, cujus celeberrima virtus
 543 litoraue et montes, vallesque, amnesque recludet
 544 et loca praeteritis numquam non inuia saeculis ;
 545 ergo Italiam inventi orbis nova gloria semper,
 546 semper honos, semper decus immortale manebit.
 547 Imperio sed enim Hispanus potietur et auro.
 548 Paucae illic urbes, pauci magalia cingunt
 549 moenibus et valido claudunt munimine valli
 550 tecta, domosque suas : quas multi in vallibus imis
 551 occultant, alii densa super arbore ponunt
 552 fluminis in ripa stagnive palustribus undis,
 553 difficiles aditu caveas ceu saepe videmus
 554 conceptos aquilae nidos spinisque, rubisque,
 555 annosae ex alto pendere cacumine fagi,
 556 aut tiliae, aut quercus, aut aerae cyparissi ;
 557 quos non upilio, quos non frondator et audax
 558 pastor adire queat. Nudi sub Sole calenti
 559 incedunt, nudi cum fundit Aquarius imbres.
 560 Pars Lunam, Solemque colunt : pars nescia cultus
 561 sinceri, Aligerum precibus simulacra fatigant
 562 nigrantum, votisque malos et sanguine placant
 563 daemones, infames quem victima fudit ad aras,
 564 sive puer, seu sit florenti corpore virgo.
 565 Quin etiam, quod nate magis mirabere, caesis
 566 corporibus miserorum avidi vescuntur et illos,
 567 quos ipsi patres genuere, in viscera condunt."
 568 Tum satus Eustachio dirae facta impia gentis
 569 aversatus et arrectis horrore capillis :
 570 "Haec scelera o mater, cur nam Deus (inquit) inulta
 571 ire sinit ? Cur non animos in tartara versos
 572 ad caelum revocat, numerumque integrat et explet
 573 illorum, quibus ipse volens sua regna paravit ?"
 574 "O nate, arcanos sensus, secretaque mitte
 575 consilia explorare Dei, quae pectore versat
 576 ipse suo, nec praeterea cuiquam abdita pandit."
 577 Ida ait et tamen his aliquando imponere finem
 578 flagitiis magnus ; "Cum primum Tarraco classem
 579 instructam ignotis committere fluctibus ausus
 580 sub sua palantes populos juga miserit et cum
 581 tantarum imperium terrarum, orbisque Philippus,
 582 quae Boreae de parte abiens excurrit in Austrum,
 583 inque Eurum, Zephyrumque patet, reget Austrius omne.
 584 Hic populis leges et jura perennia condet :
 585 moenia certa dabit ; mores avertet agrestes,
 586 infandosque abiget ritus atque impia gentis
 587 sacra cruentatis longe depellet ab aris.
 588 Immo etiam, ne forte putes, o nate, verendum,
 589 ne, qui Asiam, Libyamque colunt, quos Libia superne
 590 despicit, aequatis atque aera temperat horis,
 591 deserti auxiliis olim spolientur, eadem
 592 tempestate inter proceres nascentur Etruscos
 593 aliorum soboles longe clarissima regum
 594 Fernandus Medices, rerum spes fida labantum,
 595 ante annos animoque ingens, curaque virili,

596 flos juvenum atque Italae gentis lux et nova saeculi
 597 gloria, nec dubius priscae virtutis alumnus,
 598 quique adeo nondum signans lanugine malas,
 599 tempora conspicuus Tyrio circumdabit ostro,
 600 Patribus et Romae jam tum decus additus urbi.
 601 Ille fidem populos Latii Pastoris, opemque
 602 suppliciter sibi poscentes Phariosque, Syrosque
 603 excipiet gremio et rebus succurret egenis.
 604 Idemque ad gentes, quarum delapsus ab oris
 605 inter nigra virum, percoctaque saecula calore
 606 Nilus Pellaeum vasto petit amne Canopum,
 607 mittet et Aethiopes ultricibus instruet armis
 608 in Turcas, cultusque pios, ritusque Sacrorum,
 609 quorum illi obliti nunc se adjungere fideli
 610 Christicolum coetu et dum se Tiberinus in undas
 611 inferet aequoreas, cunctis memorabile terris.
 612 Sed, quod laetitias nostris ferat omnibus omnes,
 613 parturiet tandem saeculis abeuntibus aetas
 614 certa virum, qui longinquis in finibus ortus
 615 Cantabriae, Hesperias udi prope litoris oras,
 616 ipse sibi instituet socios et ad alta vocabit
 617 munia, quos jussu divino impulsus et aura
 618 caelesti afflatus de nomine dicet Iesu.
 619 Exiguos numero socios et caelibe vita,
 620 sed pietate pares ollis, quos prisca tulerunt
 621 saecula viros, coeptum Altitonans illustre fovebit :
 622 innumerosque addet primorum exempla secutos.
 623 Illi autem scelerum puri, mentemque repleti
 624 doctrina, nullas metuent accedere ad oras,
 625 quamvis immanes, quamvis pia facta perosas :
 626 ostendentque viam miseris, quam protinus unam
 627 insistant, Christumque ducem sectentur, amentque.
 628 Felices animae, fratrum generosa piorum
 629 pectora venturi clarissima lumina saeculi ;
 630 non auri vos sacra fames, laudumque cupido
 631 coget ad externas gressum contendere gentes
 632 et certam certos vitae praeponere mortem :
 633 sed caelestis amor patriae, sed maximus harum
 634 contemptus rerum, per tela inimica, per ignes,
 635 perque hiemes atras et vulnera ducet inermes.
 636 Nam neque supplicii infida Britannia diris
 637 exterrens coepto pavidos arcebit ab alto :
 638 nec, quae letiferas adigens in corda sagittas
 639 Ammerice caesis miserorum vescitur extis.
 640 Immo etiam assueti diras apponere mensas
 641 cannibales, monitis vestris meliora sequentur
 642 exutaque animi penitus feritate, nefandae
 643 desuescent vitae laeti, sanctosque doceri
 644 Christicolum exposcent (dictu mirabile) ritus
 645 quin et magnorum genitrix fecunda elephantum
 646 Taprobane, Oceano circum vallata profundo :
 647 infamisque aras Iapo eversura Deorum,
 648 insula praeruptis montosa atque aspera dorsis
 649 et celebris passim populis ad proelia natis,
 650 unius imperio parens nunc insula sed mox
 651 dissidiis inter proceres divulsa potentes,

652 tum primum supplex Christo delubra, Crucemque,
 653 sincerosque animo ritus amplexa dicabit.
 654 Ipsa quoque hospitibus tellus male tuta Sinarum,
 655 difficilisque aditu, nullisque obnoxia sacris,
 656 sed tamen in patrios reges propensa, nec aequi
 657 ante alias omnes cultrix minus illa, bonique,
 658 audiet orantes et vitae aeterna beatae,
 659 quae sternunt iter ad caelum praecepta docentes.
 660 Laudibus haec eadem Ausoniae licet aemula certet
 661 serica et ambiguo positae sub Sole Molucae,
 662 excipient laetae vobis suadentibus et se
 663 aeterno addicent Superumque, hominumque parenti."
 664 His dictis, Ida ex oculis, medioque repente
 665 conspectu tenues abiens discessit in auras.
 666 Ille autem, " Quo deinde fugis ? Quem deseris ? Aut quis,
 667 alma parens, subito te nunc mihi subtrahit ?" inquit.
 668 Et simul Eoo tenebris ex orbe fugatis
 669 perspicit Auroram montes aperire relectos :
 670 excitus clangore tubae de more jubentis
 671 consuetis precibus aeternam exposcere pacem
 672 atque animum rebus solertem adjungere agendis.
 673 Ergo alacer surgit stratis, supplexque salutatur
 674 ad terram pressis genibus te maxima Virgo,
 675 Virgo hominum spes fida, dei certissima mater.
 676 Mox matutinis perfectis ordine sacris,
 677 accepit sceptrum et summo praefectus honori est.
 678 Inde domum rediens magna comitante caterva
 679 intra tecta vocat proceres : epulisque paratis
 680 exstructam ad mensam cunctos accumbere jussit.
 681 Atque ubi jam compressa fames, turbaeque remotae,
 682 surgit : et ingressus thalami secreta reposti
 683 sedibus excitos secum jubet ire relictis.
 684 Quos ubi convenisse videt, mediusque resedit,
 685 attollens oculos. "Quamquam praesciscere cuique
 686 Promptum, ait, est animo Graiorum artesque, dolosque
 687 magna tamen confecta, duces, res, sponte quod ille,
 688 imperii cui Romani pars altera paret,
 689 contiguus Arabes attingens finibus hostes,
 690 postulet adjungi coeptis atque offerat ultro
 691 vires ipse suas equitum, peditumque catervas,
 692 armaque et ingentem puri vim prodigus auri.
 693 Quod si promissis maneat, quae plurima nobis
 694 ipse dedit, nec facta fidem mutata novabunt,
 695 tum vero, ut fas est, quae nos communibus armis
 696 ceperimus, communi etiam ditione regamus.
 697 Atque haec pacta duces, si vos quoque firma jubetis
 698 esse, reor cum Threicio facienda tyranno,
 699 et certa servanda fide. Sic ille nefandi
 700 et fandi memor, ex altis qui despicit astris
 701 cuncta, exercituum Deus adsit testis et aequa
 702 peccantem afficiat poena certissimus ultro."
 703 Assensere duces : procerumque ex ordine lecti,
 704 talia qui Thracum regi mandata referrent,
 705 discedunt propere e castris, urbemque petentes
 706 una iter arripiunt Commeni ad limina regis.
 707 Ille autem, Oceanum cum primum Aurora relinquens

708 terrarum, tenebras caelo discussit aperto,
709 excierat fessos stratis e millibus artus
710 spemque, metumque inter dubius, seu foedera credat
711 juncturos secum Gallos, seu lege solutus
712 omnia rapturos, memores virtutis avitae
713 et scelera exosos jamdudum, artesque Pelasgas.
714 Sed tamen assuetus varias componere fraudes,
715 haud fore desperat, tacitus quod mente volutat.
716 Has inter curas versanti et multa moventi
717 grata superveniunt procerum responsa ferentes
718 legati : quos ille intra tecta alta vocari
719 imperat et solio sese componit eburno
720 sublimem atque ostro insignem, sceptroque superbum :
721 cui crinem intonsum gemmisque, auroque tiara
722 circumiens rutilo poterat splendore tenebras
723 vincere et obscuram longe depellere noctem,
724 spectantumque oculos radiis praestringere acutis.
725 Illi autem ingressi Regem de more salutant.
726 Mox forti Rholone satus sic farier inquit.
727 "Si nos Hesperiiis patriae discedere ab oris
728 suasissent aurisque fames, regnique cupido,
729 externasque manu populorum invadere sedes,
730 foedere Rex tecum nullo nunc pacta ligarent :
731 sed potius bellum, quod te incoepisse negabunt
732 nulli umquam, nostrosque armis petiisse priorem,
733 non fraude, aut furto (quando hunc fortissima morem
734 Gallorum pubes jamdudum et damnat et odit)
735 sed virtute palam, sed aperto Marte gerendum
736 susciperet, pulsisque sua de sede colonis,
737 ipsa ultro veniens placitis consideret urbes.
738 Et quoniam, quod et ipse vides, ad moenia vestrae
739 millia jam sexcenta virum convenimus urbis
740 bellantum, quos una omnes, eademque voluntas
741 impulit in ferrum, certosque armavit in hostes,
742 verteret in praedam quicquid rapuisse liberet.
743 Nunc autem nec nos Graium populare penates
744 venimus, aut Thraces patriis evertere regnis :
745 verum praecipites Turcasque, Arabesque fugemus
746 ex Asia, Solymaeque pias statuamus ut aras,
747 abjectoque metu tandem loca sancta colantur
748 Christicolum populis, cujus si te quoque laudis
749 tangit amor, tantique cupis tibi sumere belli
750 partem aliquam coeptis socium te adjungere nostris
751 et placet et jam nunc una hac in foedera lege
752 accipimus laeti venientem atque omnia posthac
753 oppida, quae nos cumque Deus communibus armis
754 annuerit capere et nostra ditione teneri,
755 haec fore spondemus nobis communia tecum :
756 inque haec verba sacros Goffredi nomine libros,
757 aeternae libros dantes praecepta salutis
758 et Christi simul acta Dei miranda docentes,
759 tangimus et testes Superosque, Deumque vocamus."
760 Dixerat haec Rholone satus : cum Graius Alexis.
761 "Accipio, amplectorque libens, fortissime ductor,
762 quae dantur, faustumque precor si utrisque, volentes
763 quod statuisti, ait. Nos quae promisimus ultro,

764 praesto aderunt, naves cum primum ascendere et oras
 765 linquere Threicias, Bebrycumque invadere fines
 766 coeperitis, jamque innumeras astare carinas
 767 cernitis et pandas praetexere litora puppes,
 768 unde iter in fines, cursusque brevissimus undis
 769 Mygdonios, caecae surgunt ubi moenia gentis.
 770 Vos duce Thatinno, cui nos confidere tuti
 771 suevimus et regni vel totam imponere molem,
 772 Graiorum delecta manus comitabitur usque.
 773 Ille unus belli expertus, gnarusque locorum
 774 incolumes rapidum ad Syria vos sistet Orontem."
 775 His dictis duci jubet e praesepibus altis
 776 tercentum alipedes ostroque, auroque nitentes.
 777 Goffredo ex omni numero lectissima centum
 778 corpora sed reliquos reliquis quos mittat habendos
 779 militiae tantae ductoribus insuper addit
 780 et sagula et Tyrio fulgentes murice laenas,
 781 nec non et chlamydes vario subtegmine pictas,
 782 quaeque imbres, rapidosque arcent tentoria soles.
 783 Ergo ita compositis infida in foedera rebus
 784 legati redeunt hilares in castra diemque
 785 partim epulis celebrant laetis, partim ardua belli
 786 commemorant, juvat exhaustos meminisse labores
 787 et spectare procul terras, collesque feraces,
 788 quos ingressi Arabum poterunt invadere fines.
 789 Liquerat interea placidos Sol aureus amnes
 790 Oceani et largo vestibat lumine montes :
 791 cum Gallos, Italosque una cava buccina somno
 792 exiit ; illi autem litus petiere, brevisque
 793 transmissi angustas fauces atque ostia Ponti,
 794 Bithyni incolumes tenuerunt litoris oram.
 795 Tum pius Eustachides (proceres namque ante vocari
 796 jusserat ad sese) : "Postquam pervenimus, inquit,
 797 terrarum in partem, quibus hostes proxima Turcae
 798 regna tenent, vallesque imas, silvasque putandum est
 799 insedissee altas, agmen procedere sensim
 800 jam decet ad subitos casus, pugnamque paratum.
 801 Quo circa Auroram cum primum nonus aperto
 802 rettulerit caelo Titan, sese instruat armis
 803 quisque suis, instetque viam sua signa secutus.
 804 Interea cuncti Superumque, hominumque parenti
 805 Christicolum de more animum lustrentque, probentque
 806 rite sacerdoti culpas et crimina fassi."
 807 Haec ubi dicta dedit, passim per castra vagatur
 808 fama volans, certisque refert jejunia jussi
 809 indixisse patres venturae proxima lucis.
 810 Quae postquam Addemarus perfecta ex ordine vidit
 811 omnia et Eoo surgens octavus ab orbe
 812 illuxit Phoebus, sublimem operatus ad aram
 813 solemnesque preces, consuetaque sacra peregit.
 814 Idem etiam populum pura circumtulit unda,
 815 spargens rore levi ; mox et felicibus omnes
 816 prosequitur verbis et prospera cuique precatur.

LIBER SEPTIMUS

S_7 v.1 Exspectata dies aderat, cum buccina cantu
 2 clara dedit signum : primumque incedere coepit
 3 agmen et armorum rutilo fulgore micantum
 4 replevit montes veluti cum vertice summo
 5 aut Apennini, aut nubiferaeque Pyrenes
 6 silva ingens fagi, annosa et consita pinu,
 7 abietibusque frequens, ramis arentibus ignem
 8 comprehendit flammae radiantia sidera lambunt,
 9 aériasque inter nubes splendore coruscant.
 10 Ibant et gressum peditesque, equitesque movebant
 11 compositi, et toto spirantes pectore Martem.
 12 Et satus Eustachio thoracem indutus aenum,
 13 dextra autem ingentem praefixa cuspide contum
 14 praeportans, clipei pondus, molemque sinistra,
 15 et galea insigni tectus frontemque, caputque,
 16 ante alios omnes heros se primus agebat.
 17 Sic etiam armento longinqua ad pascua eunti
 18 incommitata ferox praefert vestigia taurus,
 19 viribus, atque animis in pugnam, inque arma paratis.
 20 Hic tu, quae vatem caeli super ardua tollis
 21 sidera et aetheriis Divum regionibus infers :
 22 unde mare et terras, unde aera cernat apertum,
 23 aura amor aeterni pariter Natique, Patrisque
 24 sancta veni, et vastum si te spirante profundum
 25 ingressus, potui dubios evadere fluctus
 26 incolumis, qui restat adhuc, age, dirige cursum
 27 ipsa per obscuras ignoti marmoris undas :
 28 inque animi illabens penitus, precor, influe mentem.
 29 Ac veterum extinctae procerum si tantus haberi
 30 debet honos famae, si gratia tanta referri,
 31 discute praeteriti confusa obliviae saeculi.
 32 Quaeque acies ferro accinctae regesque, ducesque
 33 excitos patria fuerint ad bella sequenda,
 34 intulerintque Arabum populis regnantibus arma,
 35 enumerare velis etenim potes, omnia quando
 36 ante oculos exposita tuos versantur et ora.
 37 Nos rerum tenebris et nocte involvimur atra.
 38 Daunius ingreditur primus, qui sanguine cretus
 39 Cimbrorum regum, dominatur Iapygis orae,
 40 numinis aeterni quo nec reverentior alter,
 41 nec virtute animi, sumptis nec fortior armis.
 42 Secum agit Ausoniae lectissima robora pubis.
 43 Filius huic fratris Sicalae telluris alumnus
 44 it comes et patruo paribus se suscitatur ausis
 45 Tancredus : forma insignis, primoque juventae
 46 flore nitens, saevos assuetus comminus apros
 47 sternere et hibernas glacies calcare, nivesque,
 48 atque aestus perferre graves dum Sirius ardet.
 49 Millia Trinacriis peditum tria ducit ab oris :

50 quingentosque equites ; dignus quem gloria tanti
 51 exciret coepti, tacitisque hortatibus ultro
 52 ad decora et laudes traheret Boemundus avitas.
 53 Illius imperio parent quicumque Pelori
 54 claustra colunt, rupesque altas, atque arva Pachyni :
 55 qui fontes Arethusa tuos, qui flava Symethi
 56 flumina praecipitis necnon Alabumque Gelamque
 57 ambiguosque amnes ; medio quorum Himera cursu
 58 Trinacriam dirimit, quique aspera saxa rotantem
 59 Pantagiam potant ; Aetnaeque e rupe fluentem
 60 Acin, adhuc diri memorem Cyclopi amorum.
 61 Quos una in medium ductor conjecerat agmen.
 62 Namque aciem primam primi tenuere Quirites
 63 bismille, Urbani qui tum pia jussa secuti
 64 Pontificis, sacrae dederant ex ordine nomen
 65 militiae, magnosque animos in bella gerebant ;
 66 digna loci splendore sui, patribusque juvenus
 67 Romulidis : quibus insignis pietate Sabellus
 68 imperat, in Turcas animis accensus amaris :
 69 Quintilius sanguis, veteris deductus ab alto
 70 sanguine Aventini ; qui quondam in bella Sabellos
 71 armavit ; Latiis Troas quo pelleret oris.
 72 Aequae suo moriens colli nomenque, decusque
 73 addidit, unde orti generosa a stirpe nepotes
 74 terrarum implerunt factis ingentibus orbem.
 75 Ille igitur tantae spectandus origine gentis
 76 it gravis incessu ; vultuque, oculisque severus
 77 omnibus ingentem pugnandi inspirat amorem.
 78 Post hos Etruscis pubes e montibus orta,
 79 Vulsinum quaecumque lacum, lucumque virentem
 80 illicibus, farnisque colit, terramque Faliscam
 81 laeta habet et collis summa de rupe fluentes
 82 haurit aquas aquulae ; linoque et cannabe pingues
 83 vestit agros ; spectatque procul vicina sonoro
 84 arva Glani : quique et Cimini de nomine dicti :
 85 gens dura in primis, belloque assueta gerendo.
 86 Cui se ductorem Tyrrhenae stirpis Halaesus
 87 addiderat, forma et juvenili aetate superbus.
 88 Progenies regum, magnorum et germen avorum :
 89 legiferos qui quondam inter rexere Faliscos
 90 imperium, populos omni ditione tenentes.
 91 Ergo avidus factis illustrem extendere famam,
 92 ut primum tanti rumor percrebuit ingens
 93 incoepti, passimque Italis vulgatus in oris,
 94 contulit extemplo Dauni se in castra, volentem
 95 scilicet ex tanto pacis, bellique magistro
 96 discere virtutem jam tum, verumque laborem.
 97 A quo mox certo generis ceu principe seri
 98 partim aucta partim mutata voce nepotes
 99 indigenae factum gentis de more sequuti
 100 deduxere tuum domus o Farnesia nomen,
 101 et natos peperere tibi vel pace, vel armis
 102 insignes, triplici qui tempora sacra corona
 103 cinxerunt, populosque manu domuere rebelles.
 104 Quattuor antiquis excita e sedibus illum
 105 millia sectantur peditum ; qui pectora parma

106 tuta tegunt : galeaque comas et tempora cingunt.
107 Pila manus, rutilum sustentat balteus ense.
108 At tercentum equites, antiquae robur Agyllae,
109 quos ad bellorum dubios sibi legerat usus,
110 ostentant clarae spectata insignia gentis.
111 Intextos sagulis ferrugineos Hyacinthos.
112 Tum genitus veteri priscorum a stirpe parentum,
113 incedens, humeris longe supereminet omnes
114 Cilnius, Aoniis proles gratissima Nymphis,
115 Areti decus, et vatium spes fida bonorum.
116 Fert niveum clypeo Cycnum, leve corpus ad aethram
117 tollentem et cantu caeli convexa replentem :
118 stemma domus notum, et majorum insigne suorum
119 protinus illum omnis legio comitatur euntem.
120 Quique pigri Glanis arva colunt ; quique ardua Clusi
121 moenia habent ; et qui summo te vertice montis
122 nascentem, vallesque imas et saxa secantem
123 Arne bibunt : gemini mox claro a sanguine fratres,
124 Griccia progenies, hilari cum corde sequuntur.
125 Ac bismille viros, belli insuperabile robur,
126 prorsus agunt : quos Sena agri ditissima pascit.
127 Sena Camenarum cultrix et Martis alumna.
128 At, quae nascenti vicina Biturgia Tibri est,
129 agmen in arma vocat cinctum fulgentibus armis.
130 Inde Typhernates, cultu gens aspera, cujus
131 ipsa suis fecunda bonis, sed inhospita tellus,
132 educat audaces lacrimosa in proelia dextras.
133 Una ingens Perusina cohors, Umbrique feroces :
134 HisPELLI manus omnis : agri Mevania dives.
135 Qui montes, Trasumene, tuos ; qui litora circum
136 curva colunt, laeti jussis parere Vitelli.
137 Ipse minax oculis, et toto corpore firmus
138 ingreditur : vultuque animus testatus acerbus
139 spirat atrox Martem ; et sociorum mentibus addit
140 ardorem pugnae ; et partae per vulnera laudis.
141 Dumque adeo incedit ferro contectus, iniquum
142 armorum haud aliter valido fert corpore pondus,
143 quam juvenis primae florenti aetate juventae
144 ferre solet Serum contextam e stamine vestem.
145 Hinc montes quicumque colunt, camposque jacentes,
146 vortice quos humili Sapis, quos flumine Isaurus
147 humectat, sociata ferunt arma hinc Camerinum
148 insequitur pubes ; junctisque exsultat in armis.
149 Praesentesque animis adsunt Ufente relicto.
150 Adsunt desertis ripisque, undisque Metauri :
151 atque oblita Aesim se tanta ad coepta juvenus
152 laeta parat, mittitque suos ad nobile bellum
153 ingenitum mediis e montibus Appennini.
154 Quos omnes idem ardor agit ; quibus omnibus unus
155 Umbrorum Ubaldis proles clarissima regum
156 imperat illi autem parent felicibus acti
157 auspiciis, quando nemo prudentius est, qui
158 rem gerat, aut armis fundat qui certius hostem.
159 Ille quidem ante alios claris majoribus ortus,
160 sed prolem insignem multa virtute daturus :
161 olim, quae Senae late dominetur in oris :

162 barbaricisque Italos vindex defendat ab armis,
163 et Venetum in tuto statuatur res illicet olli
164 pone subit propior Persaei nominis hostis
165 Ventidius, cujus discissum bellica montem
166 ostentat parma, atque hosti fatale minatur
167 exitium, credas Susas, Gangemque, Tigrimque
168 et victum Euphratem Latias horrere secures.
169 Imperiis regit ipse suis, quoscumque Truenti
170 alluit unda rapax, bello genus acre virorum.
171 Quos et Matrinus, quos et celer amne Vomanus
172 ipse suo humectans steriles defertur in agros.
173 Hos non invitis animisque, armisque sequuntur,
174 quicumque arva colunt semper frigentis Aterni,
175 in mare quo nullus violentior influit amnis.
176 Nec te Corfinii pugnax Cantelme juvenus
177 digressum irriguis patriae regionis ab oris,
178 inque externa pii certamina Martis euntem
179 deseruit, tecumque tuos generosa labores
180 sponte sua magni est pubes partita Teatis,
181 eversique ingens Amiterni et nominis una
182 Normanni studiosa cohors, tum suetus aprorum
183 lustra sequi, saevosque lupos prosternere et ursos
184 accola Nicatae : cujus nimbosus et asper
185 perpetuis horret nivibus, caeloque minatur,
186 attollens sese summum super aethera vertex :
187 fluminaque Ionium labentia fundit in aequor.
188 Post hos exoriens Hyrpina e rupe Phiternus
189 ostentatque suos et laetus jactat alumnos,
190 quorum lambit agros, non hic Garganus Iapyx,
191 non et Gerione Poenorum diruta ab armis,
192 Larinumque audax, positumque in monte Teanum :
193 Luceriaque, olim magnae tutela Minervae,
194 atque urbs Argyripa et quondam celeberrima Sipus,
195 nunc aequata solo, atque opibus viduata, virisque
196 invidit juvenum lectas ad bella cohortes.
197 Credula quos junctis animis, et viribus aequis
198 Gnatia consequitur : nec non septempace portu
199 nobile Brundisium : Calabrumque ex ordine turmae
200 Hydrunti pubes pietate insignis, et olim
201 quam seri referant simili virtute nepotes.
202 Octingenti ibant una natique, patresque
203 in bellum : nec mortem illi, nec saeva timentes
204 vulnera, dum sese Christi pro nomine leto
205 offerrent, hiemesque atras paterentur et aestus.
206 His sese adjiciunt, mollis quicumque Tarenti
207 litus et arva colunt : quamvis ad bella juvenus
208 lenta olim, et Martis duos exosa labores,
209 nunc autem patrii luxus oblita : memorque
210 ipsa sui et magnae succensa cupidine laudis
211 induerat properans pectus fulgentibus armis.
212 Una ibant, Baccho, et lanis quo nobilis Aulon
213 legerat aequales numero ; nec longius olli
214 inde aberant, inter scopulos qui murmura ponti,
215 horrentesque maris strepitus, iramque refracti
216 securi auscultant : ubi navifragum Scylaceum
217 deterret dubio miseros a litore nautas.

218 Dumque erecta animis, armisque instructa juvenus
 219 ingreditur, subiens campo sua terga prementes
 220 pone videt veteri Graiorum ab origine Locros,
 221 ultores scelerum Locros, atque agmine denso
 222 incedentem aciem, muro quos maxima quondam,
 223 nunc angusta Croton : verum cui conscia virtus
 224 excitat hortatrix ad facta ingentia mentem,
 225 proxima militiae lectos dare nomina jussit.
 226 Ergo urbem certatim omnes liquere volentes :
 227 liquere et tractus, Aesar quos irrigat et quos
 228 ipse suo fecundat agros celer amne Neaethus.
 229 Nec procul inde suos sistens Consentia cives,
 230 dives opum, dives Consentia munere Bacchi,
 231 et quae terrarum dominae velut aemula Romae,
 232 ipsa sibi septem muro circumdedit arces,
 233 instruit in bellum, rebusque, animisque paratos,
 234 infensosque Arabis, patriam qui fraudibus urbem
 235 aggressi miseram radicitus evertissent.
 236 Invasuri igitur dextris ultricibus hostem
 237 unanimes, doctique acres densare catervas,
 238 insignem factis, et nobilitate potentem,
 239 in quascumque velit partes et bella, sequuntur
 240 antiqua genitum Gallorum a stirpe Severum,
 241 a quo nomen habet fastos deducta per omnes
 242 una animis spectata, et magnis incllyta factis
 243 Sanseurina domus : cujus fecunda metallis
 244 imperio paret Temese, Sybarisque, Syrisque,
 245 Acrisque, atque ingens Sylarus, Sagraeque Crotoni
 246 illatam ob cladem semper memorabile flumen.
 247 Paret et ipse volens lapidoso Cratis ab alveo,
 248 Appenninigenis ex quo de fontibus ortus
 249 inter saxa ruit, montesque celerrimus altos,
 250 et celebris tandem nactus lata aequora campi,
 251 vix sese ipse capit, Siculumque irrumpit in aequor.
 252 At qui florentes saltus Hipponis amoeni,
 253 prataque nonnumquam spoliata virentibus herbis,
 254 falcibus attondent, ternos in bella sequuntur
 255 ductores, magni gens alta a stirpe Quirini.
 256 Hi populo in plures acies, et plura dirempto
 257 agmina, non ullis humeros in proelia telis
 258 munierant pectus thorace, et casside fronte
 259 armarant ; ceu nusquam essent ferienda daturi
 260 terga sed adversis casuri in vulnera dextris.
 261 Sic illos monitis instruxerat Haevius acer.
 262 Sic Minuci virtus proles sic certa Camilli
 263 Furius, antiquas dum versat pectore laudes,
 264 tum vero incedunt asperrima saxa colentes
 265 Lucani, hinc atque hinc gelido quos flumine Laus,
 266 et Silaris cursu praeceps concludere pergunt
 267 Dorica progenies, et quae ductoribus Afris
 268 haesit, Romulidum quondam populantibus urbes,
 269 nunc aedem Lybiae populos exosa rebelles.
 270 Proxima dehinc validas bello Campania vires
 271 laeta dat, et populos notis insignibus ornat
 272 Parthenope generosa suos : quos deinde sequuntur
 273 assuetae nimium bellis civilibus urbes.

274 In primis Capua invictae vetus aemula Romae :
 275 luxus ubi, et stabilem damnosa superbia sedem
 276 fixerat olim, animos sed tunc submissa feroces,
 277 in bellum praeceps Turcarum, Arabumque ruebat.
 278 Cui sese comitem addiderat vicina Vesevo
 279 Nola jugo ; quondam populo spectanda frequenti,
 280 atque amplo spatiosa loco : nunc undique fines
 281 moenibus angustos circum complexa, vetustas
 282 jactat opes : acri Poeno quae sola tyranno
 283 opposuit muros, portasque impervia clausit.
 284 Nec non et Clanii rapido quae flumine Acerrae
 285 vastantur, Libyae jampridem inimica juvenus
 286 et quicumque amnis ripas habet incola Sarni.
 287 Sarastes populi, atque Arabis possessa colonis
 288 Nuceria et dubiis quondam Calatia rebus
 289 fida parum Latio : tum quae lasciva pudicam
 290 intulit in scaenam lusus Atella procaces,
 291 quique rudes, quique arva tenent bene culta Celemnae ;
 292 et fecunda nucum, sed non flaventis Abella
 293 frumenti et Cumae sedes arcana Sybillae ;
 294 dum potuit caecas passim deludere gentes,
 295 obscuris vana involvens regnator Averni
 296 Lucifer, et rigidis Orci damnare tenebris.
 297 Protinus his acres pubem conjungit Aquinum ;
 298 quaeque adeo Liris fontes discriminat ambos
 299 Sora ; et oliviferis campis insigne Venafrum
 300 ac de Barbariae positis illustre tropaeis
 301 Arpinum decus invictae memorabile Romae.
 302 Denique se totum in Turcas effuderat ingens
 303 Samnium, et abruptis quicumque in montibus orti
 304 Hernica saxa colunt : quos qui numerare pararit,
 305 idem etiam numerare paret, quod florida fingat
 306 Hybla favos, Sicyonque ferat quot Achaica baccas.
 307 Nec tamen involvant tenebris et nocte profunda
 308 carmina nostra tuum, felix Florentia, nomen.
 309 Quae laudem atque animos ut testarere, fidemque
 310 ipsa tua in patrem, Latiis qui praesidet oris,
 311 aemula victricis, et magnae filia Romae,
 312 misisti invictas Boemundi in castra cohortes.
 313 Misit et urbs antiqua suas, cui filia Atlantis
 314 indidit aeternum ventura in saecula nomen
 315 Faesula : quae Tuscas inter caput extulit urbes
 316 bissenas ; lateque Orbi dominata parenti est,
 317 cum nullos habuit Tyrrhena potentia quorum
 318 ipsa sibi fidens vires atque arma timeret.
 319 Quin etiam Alpea deductae ab origine Pisae,
 320 unanimes Pisae celebrem jussere virorum
 321 ire aciem, et vires sanctis adjungere coeptis ;
 322 Tuscorum decus, et nomen memorabile Pisae :
 323 urbs terraque, marique potens, opibusque superba.
 324 Felix si stabili concors in amore, fideque
 325 mansisset ; nec post mens laeva averteret, ut se
 326 finitimis vellet praeferrere ; atque omnibus unam
 327 urbibus imponi ; legesque indicere Etruscis.
 328 Proxima succedit Ligurum manus : Apua quorum
 329 et Luna imposito populos e nomine dicunt.

330 Quaeque suo, tamen una omnes vetus Apua de se
 331 comprehensos, Arnumque inter, Macramque sonantem
 332 nominat, assuetos perferre et frigora et aestus
 333 et tolerare famem et sine somno degere noctes,
 334 in silvisque agitare feras et vivere raptō.
 335 His pedites permisti, Aesar quos amnis utrimque
 336 alluit et mediam discriminat agmine vallem,
 337 perpetuam vallem, cui dat Feronia nomen :
 338 dicta Jovis quondam conjux Feronia, namque
 339 marmore substructum nitido et fulgente metallo
 340 illius in Tusco celebrabant litore Fanum,
 341 religione ingens Ligures. Hos Luca vocarat
 342 libertatis amans, ducibusque ornarat et armis.
 343 Post hos antiqua Tuscorum ab origine regum
 344 Felsina, condensum patriis ciet agmen ab oris.
 345 Ostentatque equitum turmas, peditumque cohortes.
 346 Quas in bella vocat Piceni limen Isaurus :
 347 Crustumiumque rapax : et dives ab ubere glebae
 348 ac riguo, tenuique vado contentus Aprusa :
 349 et Rubico Italiae finis vetus : obvius olim,
 350 qui bellum, aut pacem venienti indiceret unus.
 351 Nec vos non vestras acies sociastis et arma,
 352 quos gelidae recreant valles frigentis Isapis ;
 353 quique adeo celerem Bedesim, Vitimque bibentes
 354 hinc Appennini montes spectatis et illinc
 355 Adria Dalmatiae longe quas alluit oras.
 356 Affuit et vallem quicumque Anemonis, et agros
 357 cultor habet : quique undosae colit arva Padusae,
 358 Vatrenumque videt fluvio sata culta secantem.
 359 Quique ex eversa populi crevere Claterna.
 360 Hos super adveniunt eadem de gente manus, quas
 361 e vitreo Scultenna lacu, atque e vertice summo,
 362 unde mare et Ligurum saltum, lateque patentēs
 363 Gallorum campos pater aspicit Appenninus,
 364 aspera saxa fluens inter, pinguesque novales,
 365 misit, et unanimes ocreis armavit, et hastis.
 366 Post quos cernere erat Mutinae generosa renatae
 367 agmina, et antiquae pedites incedere Parmae ;
 368 et quoscumque rapax gelido rigat amne Gabellus.
 369 Nec non et densis equites se effundere turmis ;
 370 Mantua quos dives fecundis misit ab oris,
 371 profecitque alta Gonsagae a stirpe profectum
 372 Oromedonta ducem : non quem sub vertice montis
 373 Arganti caelo vidit jam Phlegra minantem
 374 excidium : sed quem justique aequique tenacem
 375 terra tulit, verae columen pietatis et illum
 376 cui se ferre parem Gallorum haud audeat ullus ;
 377 seu lucta certare velit, seu cominus armis :
 378 sive eques infensus lato concurrere campo.
 379 Cunctorum extremus sese ostentabat euntum,
 380 quem sua Cenomanum, Ligurumque exercitus ingens
 381 Brixia, Verbannusque lacus, rapideque fluentis
 382 accola Ticini patriis dimisit ab oris.
 383 Jussit et imperiis sese submittere Othonis :
 384 regius unde tuus, domus o Viscontia, sanguis :
 385 ditibus Insubrum late regnavit in oris.

386 Una etiam, quicumque alpes habet, ibat opertus
 387 aere caput, clypeum laeva, dextraque bipennem
 388 intentas validam, lorica utrimque trilici
 389 setosos humeros, atque hispida pectora cingit.
 390 Claudebant extrema aciem, quos Attius acer
 391 exciit Euganeis e montibus unus Ateste
 392 cui tunc, et Veneti pars maxima paruit agri.
 393 Attius ex atavis proles deducta Sabinis :
 394 gens vetus, et multos Romae dominata per annos,
 395 clarorum fecunda ducum : Ferraria cui se
 396 regnandam, populosque dedit virtute regendos
 397 litore ab Adriaco Tyrrheni ad marmoris oram.
 398 Hanc tunc armipotens tellus tulit Itala pubem
 399 bellantum, tanti robur memorabile coepti ;
 400 millia complebant quam ter vicena virorum,
 401 insignem ferro, atque animis praestantibus acrem.
 402 Illius mox terga loco propiore secuti
 403 Bellovaci, primam numero, et virtute potentem
 404 instruxere aciem, sumptis quo saevus in armis
 405 Nervius insequitur, natusque ad proelia Trevir :
 406 quique adeo vitreum tenui bibit amne Mosellam
 407 Leucus : et indomitis Morinus vicina Britannis
 408 litora habens, portuque ipsi propiore Caletes ;
 409 Remique, Aulercique acres : quos Axona, quosque
 410 Sequana frigenti medios complectitur amni.
 411 Protinus infestas his adjunxere cohortes
 412 Armorici horrentis contemnere murmura sueti
 413 Oceani et jaculis hostem configere acutis
 414 eminus, et valido calamos imponere nervo.
 415 Nec vos Carnutes vestrum liquistis euntem
 416 tanta in bella ducem : nec tu juvenemque, ducemque
 417 egregium Biturix non es comitatus et una
 418 conatus medio versantem turbine belli
 419 tutari et frustra Turcarum avertere castris.
 420 Ibant Arverni Trojano a sanguine creti
 421 Vangionumque acies, Batavorumque agmen ad omnia
 422 jussa ducum, quaecumque instant, nutusque paratum.
 423 Quin etiam Ligeris fecundis misit ab agris
 424 Pictones et salsis propiores Santones undis.
 425 Misit Aquitana fortes de gente Cadurcos ;
 426 in mare qui tumidus lato fluit amne Garumna.
 427 Deseruitque Ararim, Rhodanumque, Isaramque, Dubimque
 428 Sequanus et Latiae frater fidissimus urbis
 429 Haedus ac nondum ritus exosa, piasque
 430 Romanorum aras, quae gens salebrosa Lemani
 431 saxa lacus, ripamque colit, brumalibus Alpes
 432 quam nivibus tectae toleranda ad frigora durant.
 433 Pone Britannorum subit alto a sanguine Regum
 434 insignes virtute Conon Montautius, a quo
 435 clara per Etruscos se gens Montautia fudit.
 436 Filius haerebat lateri Goscellus, et ipse
 437 confertas solitus perfringere Marte phalanges.
 438 His etiam Chatti vires, acresque Suevi
 439 adjecere suas, nec se subducere coeptis
 440 crinibus intorti flavi volvere Sicambri.
 441 Non Agilolfinga natum de gente Cacannum

442 deseruere ducem populi, qui finibus Aenum,
443 atque Istrum attingunt, tepido quos Solis ab ortu
444 Cecius exurgens Euris mons afflat odoris,
445 Curvancaeque jugum pluvialibus irrigat Austris.
446 Sic saltus acies instructa evasit iniquos,
447 convallesque cavas, latebrosaque saxa locandis
448 bellorum insidiis, donec se inferre patenti
449 quivit et unanimis spatioso incedere campo.
450 Suspicit unde altos a laeva insurgere montes :
451 Ascaniique lacus a dextra includitur unda
452 perlucenti unda, passim quae pervia nautis
453 moenia Nicaeae propior pertingit ; et urbem
454 mercibus investis ditem beat. Illa quaternis
455 exhibet ingressum portis, spatiosaque muros
456 dirigit in quadrum, turresque infensa minaces
457 ostentat procul et venientes territat hostes.
458 Hanc unam sibi praecipue delegerat arcem :
459 ex qua Graiorum cervicibus impenderet,
460 Bithynis dum Persa ferox dominatur in oris,
461 artibus egregius belli Solymanus et ausis,
462 Belferci proles, qui quondam in Perside regnum
463 cum gereret, certaue Asiae totius habenas
464 laxaret, premeretque manu, virtute repertum
465 imperium natis aequata sorte reliquit.
466 Indole quos inter praestanti, animoque virili
467 Dothacus Assyriam tenuit dicione Damascum,
468 assidue bellum Phario cum rege gerentem,
469 Hassanusque oram regnandam accepit et urbem,
470 addideratque ipsos fida cum conjuge natos.
471 Ergo ut confertas acies videre piorum
472 adventare, locoque omnes considerare cero,
473 hinc atque hinc densa muros cinxere corona,
474 et trepidi firmo clauserunt obice portas.
475 Quarum unam, Libyci partes quae vergit ad Austri
476 prona, Tolosatam pubes obsedit et audax,
477 cum primum positis turrita ad moenia castris,
478 ac nondum indicto justae certamine pugnae,
479 nunc aperire aditum, summas nunc sternere turres
480 quaerit et ex altis hostem depellere muris.
481 Haec eadem parte ex alia Boemundus, et acer
482 Tancredus, Gallique simul, Belgaeque, Britannique,
483 arietibus muro admotis conantur et instant.
484 At Tomyris, bello a teneris assueta gerendo,
485 inter Sarmaticas virgo versata secures,
486 finitimis olim populis metus acer et una
487 quae pediti sese pedes obvia ferret, equesque
488 confertis equitum posset concurrere turmis :
489 saeva manu mulier, studium curamque tuendae
490 Bithynae fidens animo susceperat urbis.
491 Illa igitur dum se circum sua moenia versat :
492 "Eia agite, o Cives, illorum opponite telis
493 tela, ait, aequae alto devolvite saxa, trabesque
494 in caput, et scalas ; nec vos nova terreat hostis
495 externi facies ; longe (mihi credite) cedet
496 finibus a nostris, si se semel ipse repelli
497 senserit et validis defendi viribus urbem."

498 Dixerat, et manibus lapidem deturbat utrisque
499 ipsa suis. Cadit ille ruens et pondere vasto
500 opprimit audacter subeuntes moenia Gallos ;
501 cogit et ad fossae sese convertere ripam :
502 quam ducis imperio virgisque, et falcibus ante
503 implerat miles, summaeque aequarat arenae.
504 Ergo illum dictis acer Rhamundus amaris
505 increpat et rursus scalas in moenia poscit.
506 "Non pudet, o Galli, vos hinc terrore ruinae
507 unius properare fugam, atque abscedere victos ?
508 En has, ut tergo victorum infligeret hostis
509 vulnera, et irrisos ageret, venistis ad oras ?
510 Ite, agite et manibus lacerum divellite murum,
511 praesidiisque illinc pulsus hostilibus, ipsos
512 ac Solyms aperite aditum ; victoria coepti
513 totius hic posita est ; etenim si capta patebit
514 urbs prima haec, aliae clausas opponere portas,
515 objicere aut sese nusquam venientibus ausint."
516 Haec dux increpitans Gallos sic ore monebat.
517 Ergo illuc animis cuncti rediere receptis,
518 rettulerant prius unde pedem, majoreque nisu
519 invasere iterum facta testudine muros.
520 Cepissentque urbem, ni Rex Solymanus ab altis
521 silvarum, nemorumque jugis digressus, equestrem
522 jussisset propere in campum se effundere nimbium.
523 Namque ante adventum Gallorum, in Perside turmas
524 ingentes equitum, peditumque coegerat, et se
525 montibus in summis tacitus, nemorumque latebris
526 abdiderat, laturus opem cum posceret usus
527 pugnandi et mediis nostros fusurus in agris.
528 Quos ubi conantes urbis rescindere turres
529 audiit et portis inferre obstantibus ignem,
530 erectusque, alacerque suos affatus : "Habetis
531 quod cupiistis, ait, castris ex omnibus hostem
532 effusum et temere ad muros, turresque ruentem.
533 Ite viri mecum et praedam sperate futuram,
534 quantam nonnumquam nostri optavere parentes
535 eversum post imperium, viresque Quiritum.
536 Hic proceres Gallorum omnes, hic lecta juvenus
537 Italiae, sed turba fugax, aestusque viaeque,
538 et sitis impatiens ; uno hoc certamine tantum
539 aut misere caesos, canibusque, avibusque vorandos
540 linquimus, aut cunctos in vincula ducimus actos.
541 Nec quisquam vestrum est, qui non infecerit horum
542 sanguine jampridem camposque, ensesque, manusque
543 et patrem ingentem, fines quae prima feracis
544 Mygdoniae properans ausa est invadere, tamquam
545 molle pecus, mutumque metu demiserit Orco,
546 este precor vestri memores, unaque putate
547 esse in conspectu cara cum conjuge natos ;
548 qui, nisi vincamus, jam jam vincentur inermes,
549 atque in servitium rapti abducentur, herosque
550 cogentur posthac miseri observare superbos."
551 Talibus hortanti socios haec subjicit audax
552 Hernachus, Hunnorum qui claro a sanguine regum
553 ibat ovans, seriemque inter numerabat avorum

554 spectata virtute duces, Belamque, Chevamque,
555 ingentemque ausis Geusan et Taxin et orbis
556 vastatorem Atilam : "Tibi nil Solymane verendum est,
557 quin habeat nos ad bellum, pugnamque paratos.
558 Namque omnes quotcumque sumus, te maxime ductor
559 unanimes semper, quo jusseris ire, sequemur
560 et primos hosti caput objecisse juvabit.
561 Non ignes, non tela viam, non ipsa morentur
562 tormenta et muros quae machina disjicit altos.
563 Te duce per medias Libyae sitientis arenas
564 perque alpes Scythicas glacie nivibusque rigentes
565 intrepidi gressus acrem tendemus in hostem,
566 extremoque tibi statuemus in orbe tropaeum ;
567 vel si se nostris opponat viribus audax
568 Europa, atque Asiae se totam effundat in oras."
569 His dictis accensi animi, cunctique repente
570 e silvis, latebrisque cavis et vallibus imis
571 prorupere, simulque agros petiere patentes
572 praecipites. Veluti cum grandis e nubibus atris
573 improvisa ruens in terram fertur et altis
574 in tectis crepitans passim salit, intonat aether
575 arduus ; illa autem teneros glomerata racemos
576 verberat, ac laeto venientem in palmitibus Bacchum
577 inficit et glandem et viridem contundit olivam.
578 Non gregibus, non armentis, non illa subulcis
579 parcat, et infandam pestem simul omnibus infert.
580 Ut campos tenere jugis, silvisque relictis,
581 sub pedibus movere suis vim pulveris atram.
582 Ceu cum dumosis convallibus Appennini
583 offudit nebulam gratam raptoribus Auster,
584 infensam tamen et pecori, pecorisque magistris.
585 Tum vero una omnes ingentem ex ore profundunt
586 clamorem et diris ululatibus aera complent.
587 Quos postquam infesto venientes agmine vidit
588 Tectofagum ductor, revocato milite, in armis
589 constitit, atque aciem laetus direxit in hostem
590 et latera hastatis equitum communiit alis.
591 Ipse autem galea et thorace armatus aeno
592 eminent, et cunctos inter proceresque, ducesque
593 primus abit ; devectus equo, quem mater Iapyx
594 montibus in summis eductum ad frigora et aestum
595 duravit, docuitque leves praevertere ventos
596 cursibus, et stabilem media se sistere in acta.
597 Non secus ac tumidis in fluctibus horrida cautes,
598 quam neque sublimi flantes a vertice Cauri,
599 nec caelo abruptae stabili de sede procellae,
600 dum pelago super incumbunt, convellere possunt.
601 Et Solum in Gallos magno clamore ruentem
602 obvis infesta medium transverberat hasta,
603 fundentemque animam misto cum sanguine, ab alto
604 deturbavit equo, nec quicquam profuit illi
605 intectus chalybe clypeus, loricaque triplex,
606 atque ex aere rigens et vix penetrabile tegmen
607 pectoris, extremos inter fabricatus Iberos,
608 et Stygio in primis duratus flumine thorax.
609 Eductumque atro ferventi e vulnere telum

610 dirigit in frontem contra venientis, et ora
611 Gizidae, fratremque suum, sociumque volentis
612 ulcisci et precibus concepta in vota vocantis
613 unum Halyn, assuevit primis cui sidere ab annis.
614 "Si te (inquit) semper colui sancteque, pieque
615 caeli numen Halyn, Persis Deus unus et idem
616 cunctorum hostis atrox, tua qui praecepta refutant,
617 da Pater omnipotens inimicum sternere Gallum.
618 Illius interitus belli totius ut omen
619 impleat hostiles multo terrore phalanges :
620 augeat et nostris animorum proelia vires."
621 Haec secum tacito dum talia murmurat ore,
622 praecipitique adeo cursu defertur, acutae
623 sensit se subito transfigi cuspidis ictu,
624 parte superciliis qua se frons jungit, Halynque
625 acriter incusans manibus dimisit habenas,
626 aequae feri dorso cecidit revolutus et ingens,
627 dum cadit, ingentem sonitum super arma dederunt.
628 Mox Pharon aggressus rigida ferit arduus hasta
629 sub mentum, unde levis vox edita prodit in auras.
630 Atque illis Stygias fugiens infesta sub umbras
631 vita, feris corpus laniandum, avibusque reliquit.
632 Inde Aarumque, Omarumque subit, Gazumque, Cotymque
633 ense omnes : namque in Balaco perfregerat hastam.
634 Nec tamen incassum : latebris sed pectoris haustis
635 uno eodemque ictu veteris radicibus Orni
636 fixerat exanimum, fractumque in vulnere robur
637 liquerat et Seuthem sese mucrone petentem
638 fragmine perculsum Phlegethonti addixerat amni.
639 Post quos Habdallae caput a cervice revellit.
640 Habdallae, qui se prognatum a stirpe ferebat
641 Abdaridae et latis Arabum regnabat in oris.
642 Nec mora. Corcutum, cui, summa in casside plumae
643 centenae assurgunt, centum quod comminus hostes
644 fuderat et cunctos vita spoliarat et armis
645 protinus invadit, clypeumque ex aere rigentem
646 discidit in geminas geminato vulnere partes.
647 Nec tamen hic sese compescuit impetus ensis :
648 verum humeros, armosque feri descendit ad imos
649 atque viri summa strinxit de pube, Cilixque
650 ingemuit sonipes, dumque ipsis calcibus aethram
651 verberat assiliens, sessorem exturbat. At ille
652 fusus humi magno terrae sola dura fragore
653 vix premit et subito pedes emicat, inque frementem
654 versus equum. "Non me tecum fortissime, dixit,
655 inter mille neces et saeva pericula Martis,
656 quam mihi servasti vitam, dispergere in auras,
657 atque imas tecum delabi Acherontis ad undas
658 taedeat, amborum caedem modo vindicet ensis
659 ante meus, cui tot se animae vovere cadentes."
660 Haec effatus, agri medio de tramite saxum,
661 saxum ingens, immane, jugo quod montis ab alto
662 corruerat ventis et tempestatibus atris,
663 ac secum teneras passim prostraverat ornos,
664 corripit, eque manu jecit violentus in hostem.
665 Ac nisi laxatas ductor Narbonis habenas

666 defluxisset equi saltu, laevamque petisset,
667 ilicet illius vidisset limina Solis
668 ultima, nec Turcis alta Davidis ab arce
669 ejectis, patriae sospes rediisset ad oras.
670 Phaereclum tamen armigerum, qui certa secutus
671 jussa ducis, custos inter fidissimus omnes
672 terga tuebatur, medios pugnantis in hostes
673 perculit et summa moribundum extendit arena.
674 Non impune tamen ; justa nam percitus ira
675 Rhamundus, clavam ingentem, qua sternere suerat
676 agmina et aeratas passim contundere turmas,
677 sustulit, inque caput, galeamque impegit et omne
678 ossibus infractis dispersit in arma cerebrum.
679 Quod propior campi speculatus ab aggere Battus,
680 laserpiciferae Battus regnator arenae,
681 "Concidit invictum robur nostri agminis (inquit)
682 ac, nisi missilibus Gallum compescere telis
683 tendimus unanimes, nostris de viribus actum est."
684 Haec ait, et curvo nitens intorsit ab arcu,
685 cui fuerat cuspis duro ex adamante, sagittam.
686 Illa volans dextrae raptim sese intulit alae :
687 inque humero nervis disclusa ridentibus haesit,
688 forte gravem magno dum libret pondere clavam
689 in Phalarim et capitis tegmen contundit aenum ;
690 non secus ac glaciem concretam in vallibus imis
691 aut Appennini, aut nubiferae Pyrenes,
692 comminuit scopulus summo de vertice lapsus.
693 Ergo ille accepto postquam de vulnere sensit,
694 invalido duras cessisse e corpore vires :
695 Vertiscum in Rhemis regnantem, inque arma cientem
696 haud procul inde aciem vocat et sic fatur ad aurem.
697 "Vertisce armipotens, cujus virtute repulsi
698 saepe hostes liquere locum, turpique salutem
699 quaesivere fuga ; si te tua facta, tuaeque
700 delectant laudes et gloria parta laborum ;
701 ipse meam tutare vicem, dum castra reviso,
702 ut passim injectae medicari cuspidis ictum,
703 quique omnes frangit vires, auferre dolorem."
704 Haec ubi fatus abit : abeuntem ex agmine Bostar,
705 Afrorum Bostar longe fortissimus. "Eia,
706 eia agite, o socii, jam vicimus, ite frequentes :
707 ite viri mecum et turbam ductore carentem
708 disjicite, adverso caedentes agmina ferro ;
709 excitet hic animos, vindex certissima, vestros
710 virtus ; una omnes Libycis quae patribus aequet.
711 Quando illi populos olim domuere superbos,
712 perque ipsos Gallorum agros ad moenia Romae,
713 vastata passim Italia, sua castra locarunt.
714 Et nunc degeneres gentem patiemur inultam,
715 proh dolor, in Libya praeclarum, Asiaque tropaeum
716 ponere ? Et hac tantos moliri in parte triumphos ?
717 Non ita ; magnanimi si me genuere parentes :
718 inque hoc virtutem fuderunt pectus avitam."
719 Dixerat, utque leo mediis in saltibus ingens
720 prospicit armentum specula sublimis ab alta,
721 spirat hians, caudaque sibi diverberat armos

722 et sese in praedam collecta suscitatur ira.
723 Mox ruit et nitidum, spreto pastore, juvencum
724 corripit immanis, totumque eviscerat uncis
725 unguibus : humectans undanti sanguine fauces.
726 Sternit humi Strophium, quem serva Tolumnia furtim
727 eductum in silvis cervae mandaratur alendum.
728 Isque, ubi firmatis crevit robustior aetas
729 viribus et duro venatu assuetus aprorum,
730 cunctorum coetus hominum vitabat et urbes
731 et montes, vallesque imas et vasta colebat
732 Hercyniae deserta, ferasque infestus agebat
733 et cursu et canibus, nec non jaculisque, plagisque.
734 Felix si vita coeptum constanter in illa
735 servasset studium, latebrisque occultus opacis
736 aurea magnorum vitasset limina regum.
737 Non illum exciperet tellus Bithyna cadentem :
738 non efflantem animam properans ulciscier Aruns,
739 ipse quoque ejusdem cecidisset cupidus ictu
740 et secum in casum fratres traxisset eundem
741 Rhesumque, Eurypilumque, Evaemonidemque, Melemque
742 Rheso oculus, femur Eurypilo trajecit ; at illos
743 ense ambos rapuit praecordia ad intima adacto.
744 Caedit Hylum, caedit Varium, Cloniumque, Pharimque.
745 Corruit una ingens Dorylas acerque Coryscus ;
746 et cum patre Dares, Titiusque Machaone natus.
747 Herbarum vires unus qui noverat omnes ;
748 posset ut aegrotis veniens afferre salutem :
749 et jam jam exsanguis revocare ad lumina vitae.
750 Ergo hic perfossum letali vulnere dum se
751 aspicit emoriens, patrias reminiscitur artes
752 incassum et demens queritur pia bella secutum.
753 Has ferus atque alias caedes et tristia victor
754 funera miscebat Bostar, Gallosque manipulos
755 impulerat nudare fugae jam terga ruentes
756 cum subito accurrens praestantibus optimis armis
757 Commius ipse Atrebas, peditum sed ductor agebat
758 Germanorum aciem, longis quae freta sarissis
759 pugnam obit, ingentique locum virtute tuetur.
760 "Non pudet, o miseri, toto discedere campo
761 unius Abdaridae tantum formidine pulsos ?
762 Quo fugitis trepidi ? Gressus quo tenditis (inquit)
763 non hic ullae arces, non moenia fida, nec usquam
764 castra dabunt vobis tutum munita receptum.
765 Aut hic vincendum, claraque hic morte cadendum est
766 aut pecudum in morem subeundum vincla, necemque."
767 Commius his dictis fertur violentus in Afrum
768 exsultantem animis et multa caede madentem,
769 aggrediturque virum demisso in tempora ferro.
770 Ille ictum parma venientem excepit, equumque
771 impulit inde suum, Gallumque amplexus et haerens
772 nititur e summa dejectum avellere sella.
773 Ac dum se raptant manibus per mutua nexis,
774 inque vicem contra summa nituntur opum vi ;
775 in terram pariter ambo cecidere ruentes,
776 atque arma ingentem strepitum collisa dederunt.
777 Subsedit Bostar, rigido quem Commius ense

778 confodit, atque una vitam cum sanguine ademit.
779 Verum a caede illum surgentem aggressus Amilcar,
780 in tergum veniens impacta trajicit hasta.
781 "Sic te Poenorum decus exstinxisse putasti
782 Galle, ait, et nostris victorem excedere ab oris ?
783 Accipe, et has demum partas nunc infer olympto
784 exuvias, Christoque tuo gratare, quod ipsos
785 Abdaridas victos, Asiaque e divite pulsos,
786 infractumque jugum, libertatique reclusum
787 esse aditum Solymae te bellatore, videbit."
788 Impius has imo fundebat pectore voces
789 in Sagarim, Dorylumque ruens : hastaque reducta
790 illi dextrum inguen ; costas huic perforat imas.
791 Inde Idam, Ligerimque subit, Pardumque, Lycumque.
792 Et cum Priverno jungentem Hypsenora vires ;
793 mox Bardum et Gaddum pugnae nodumque, moramque
794 turbat agens, utrumque tuum Florentia civem.
795 Ast animam Cynirae letalibus oblita succis
796 fraxinus exhaustit validis contorta lacertis :
797 Allobrogi Cynirae, dederat cui maximus heros
798 Eustachides Morinos tranquilla in pace regendos.
799 Ille potestatem dicendi juris adeptus
800 ingentes cumularat opes, quibus auctus honores
801 ipse sibi primos capta promiserat urbe.
802 Nec mirum quando Vatum responsa petenti
803 addiderant animos et spe, fastuque replerant
804 usque adeo, ut tenues jam fastidiret amicos,
805 solaque monstratae spectaret commoda sortis.
806 Visum aliter Superum Regi, cui sidera parent.
807 Tum vero tremefacta retro coepere piorum
808 agmina versa fuga Persae dare terga sequaci.
809 Quando etiam Tomyris portis eruperat urbis :
810 et parte ex alia turmam Solymanus equestrem
811 intulerat campo, Gallosque aggressus agebat
812 palantes, turmasque equitum, peditumque, catervas,
813 sicubi constiterant densae, fundebat, et una
814 cum ducibus turbam morti dabat ; illius ergo
815 obvius infestis manibus non se obtulit ullus,
816 adsumptus leto poenas quin solverit acres.
817 Et primum Amphio natus genitore Perutus
818 occubuit, ferro penitus per viscera adacto.
819 Mox Migdon praestans forma et juvenilibus annis,
820 levia cui nondum lanugo infecerat ora,
821 et galea insignis crinem, frontemque tegebat,
822 concidit in renes, acta per terga securi,
823 et matri miserae, quae natum in bella secuta est,
824 ut pia longinquas Solymorum inviseret oras ;
825 solveret et sancto solemnibus vota sepulcro ;
826 exhalans animam lacrimas, luctumque reliquit.
827 Nec stragem Tomyris diversa in parte minorem
828 edebat, jaculis et parma insignis Amazon.
829 Illa simul geminos Halium, Crotonaque fratres
830 fudit humi, mortique Hebesum, Lamyrumque, Phalumque,
831 ausa dedit, pressitque artus atque arma Dioclis :
832 forte ut erat prolapsus equo, telumque trementi
833 infixit jugulo, manibus dum prendit utrisque

834 bellatoris equi, gladioque attentat habenas
 835 undantes, parat et femori dare vulnus aperto.
 836 Ergo illum sese quaerentem attollere, ferro
 837 caedit : et in media morientem linquit arena.
 838 "Quamque optasti, inquit, sedem cape ; nec tibi fortes
 839 Abdaridae invideant : tantum quod Galle sepulchrum
 840 nactus, ad Ascaniam cecidisti invicte paludem.
 841 Atque ubi subjectos populos in jura vocares,
 842 effuso tandem peperisti sanguine regnum."
 843 Sic effata palam victrix exsultat Amazon
 844 atque illuc, ubi conferto videt agmine pugnam
 845 urget equum, saevitque gravi nunc illa securi
 846 comminus : infestis nunc eminus usa sagittis.
 847 Ac, velut Hyrcanis in saltibus aspera tigris
 848 quam juvenes densa circumvenere corona
 849 insilit in medios : illumque eviscerat uncis
 850 unguibus : huic rigidis infringit dentibus artus.
 851 Sic furit in pedites equitesque animosa virago.
 852 Ergo omnes turmae, fulgentesque aere catervae
 853 turbatae, hinc illinc in morem pulveris atri,
 854 quem Notus, aut veniens sublimi a vertice Caurus
 855 prae se agit et nigra late premit aera nube
 856 praecipites, quocumque ingens metus ingruit : ibant
 857 atque omnes decorisque sui, patriaeque salutis
 858 obliti, jam terga dabant palantia Medis.
 859 Nec pudor instructo retinebat in agmine quemquem.
 860 Sed mixtus clamorque virum, clangorque tubarum
 861 implebat summos sublatus ad aethera montes.
 862 Tempore quo primum victor Solymanus in urbem
 863 Nicaeam ingressus, vixisset moenia firmi
 864 omnia praesidiis et opes stabilisset avitas
 865 ni spes et praeceps alio sententia mentem
 866 flecteret, ac victos illo certamine Gallos
 867 sese avibus praedam cunctos canibusque daturum
 868 pulsurumque omni Syriaque, Asiaque putasset.
 869 Atque haec ipsa animo demens dum volvit et acres
 870 gloria bellandi stimulos sub pectore vertit,
 871 nuntius acceptae cladis pervenit ad aures
 872 heroum, atque omnes castris excivit apertis.

LIBER OCTAVUS

S_8 v.1 Convenere simul Boemundus et inclytus armis
 2 Tancredus, cunctosque inter qui maximus ibat
 3 imperio dux Leucorum Goffredus et ambo
 4 Roberti : Rholone unus patre natus, et alter
 5 filius Iceni proles generosa Britanni :
 6 Valteriusque Senon Regi fidissimus ipsi
 7 armiger, et Vidus Morinis in finibus ortus :

8 Arpinusque etiam Biturix et casside Medix
9 tectus et impubis comitem sese addidit ollis
10 egregius forma atque aetate Ursanius ; idem
11 quos famae generosus amor, laudumque cupido
12 horrentem in pugnam et certamina Martis agebat.
13 "Nunc, o castorum fautrix sanctissima vatium,
14 urbis honos Phariae, quae labe carentibus omni
15 addita Virginibus, montis sublime Sinaei
16 culmen habes : propiorque Deo testaris amorem
17 ipsa tuum et precibus praesens, votisque piorum
18 semper ades : siquando alias facilisque, volensque
19 favisti, atque tuo complesti numine mentem
20 diva meam : nunc caelestes mihi suffice vires
21 et toto insuetum depelle e pectore frigus.
22 Non ego quot ferro strages, quot funera campis
23 ediderat, quem quisque manu sub Tartara Persam
24 miserit et caesum Stygio damnarit Averno,
25 enumerare queam, non, si mihi pectore ab imo
26 erumpant centum, ceu vasta tonitrua, voces."
27 Ibat in adversos animis praestantibus hostes
28 heroum stipata cohors : grex sicut aprorum
29 una omnis ruit in saevos ursosque, luposque
30 undique : cum medio conclusos agmine natos
31 tutatur, plagasque hosti, letumque minatur.
32 Ilicet exorsus stridor defertur ad auras
33 et strepitu valles, strepitu nemora alta resultant.
34 Illi abeunt : trepidoque petunt loca devia cursu.
35 Sic Itali, Gallique duces, acresque Britanni
36 invasere simul sparsos toto aequore Turcas.
37 Atque hinc, atque illinc magno clamore ruentem
38 compressere fugam. "Quo vos ? Quo pergitis, aiunt,
39 state viri, pugnate viri, defendite vestrum
40 et retinete locum ; et manibus considite, quarum
41 in sola virtute sita est victoria, et ingens
42 gloria, quae vestrum sustollat ad aethera nomen :
43 cunctorumque animos lucentibus inferat astris.
44 Turpis enim quaesita salus pedibusque, fugaque."
45 His dictis commotae acies : abjectus et omnis
46 corde timor : rursus vertere minacia Persis
47 tela, vel antiqua letum pro laude pacisci,
48 atque una decus amissum reparare volentes.
49 Ergo omnes uno ore fremunt : vox omnibus una est.
50 Vult Deus hoc fieri bellum ; jubet arma moveri
51 hac Deus et nobis vires ipse addit in hostem.
52 Talibus inter se Gallorum, Italumque manipuli
53 hortati, clarae renovant certamina pugnae.
54 Concurrunt acies, peditem pedes obvius urget
55 atque equitem congressus eques, clypeiue resultant
56 impacti clypeis, hastaque hastilibus, ensesque
57 ensibus, et sparsa collucent fragmina arena.
58 Quin et vincentum clamor, gemitusque cadentum,
59 armaque, corporaque et miseranda in caede virorum
60 semianimes volvuntur equi ; tremit obruta tellus,
61 sanguineque effuso passim fluit. Hos metus atque hos
62 terror atrox, rabiesque feri soror impia belli
63 instigat, penitusque animis discordibus effert.

64 Gisgonem ante alios resupinum in pulvere Medix
65 dejicit et clava galeam perfringit aenam.
66 At Brocchum Imbrasiden Ursanius, utraque postquam
67 per cava mucronem veniens transmisit acutum
68 tempora. Pirum autem Biturix cum saevus adisset,
69 pectore perfosso Lethen detrusit ad amnem.
70 Ille Atlantiacas urbes, populosque regebat
71 imperio, et Mauros suerat frenare rebelles :
72 hic autem claro Graiorum a sanguine natus
73 exuerat Christi cultum, seque ipse ferebat
74 ritibus addictum, docuit quos impius olim
75 Abdarides, populis cum lege suasit iniquas.
76 Ergo inter Persas uxorem nactus, opesque
77 ingentes, Tigrim dives regnabat ad amnem.
78 At Pirus, cujus molles regalia Medi
79 jussa sequebantur, magno inflammatus amore
80 virginis Hermillae, turmas in bella trahebat
81 bellatorum equitum et campo exsultabat aperto :
82 virginis Hermillae, quae formae anteibat honore
83 quascumque Ecbatanis peperit generosa Charambis :
84 fecerat et pulchra Solymanum prole parentem.
85 Ille autem tantas spirans e pectore flammam
86 dum moritur, rigidumque imis miser accipit ensem
87 visceribus fugientem animam cum voce profundit :
88 "Et questum ingeminans, Hermillae et amabile nomen,
89 te quoque, dilectae qui me nunc eripis, inquit,
90 Hermillae, juvenem fatum exitiale moratur,
91 dum conaris opem pereunti ferre sodali."
92 At parte ex alia Boemundus Amilcaris agmen
93 disjicit et totum invadens funditque, fugatque ;
94 non secus atque gregem cervorum aggressus inermem
95 Martius in silvis agitatur lupus, improba noctu
96 quem latebris exire fames in aperta coegit.
97 Atque acie in prima versantem obtruncat in Iarbam,
98 Bardanemque illi comitem simul addit et ensi
99 devovet Androclidem, Syriis qui natus in oris
100 incoluit ripam per saxa fluentis Orontis.
101 Felix qui patriae misere pereuntibus urbis
102 moenibus abfuerit : neque tanta caede suorum
103 nare pavimenta et cunctorum strata viarum
104 viderit et passim saevire incendia tectis.
105 Hinc caput Ascalapho gladio metit, inque Theonem
106 fertur et a medio dorso quae pergat ad ipsas
107 cervices, vena abscissa, detruncat, humique
108 dejicit : ille cadens terram petit ore cruento.
109 Nec minus interea turmas Goffredus equestres
110 reppulerat, perque obstantes patefecerat hostes
111 ense viam et campum late contexerat omnem
112 corporibus caesis, qua se cumque ille tulisset.
113 Dumque adeo passim strages et funera miscet
114 turbidus, inque duces saevit violentus et unum
115 quemque rapit rem praeclara virtute gerentem
116 cernit Amuratem : pater hunc Solymanus amabat
117 praecipue, reliquis quamvis aetate minorem,
118 Thracia quos illi conjunx eduxerat Euno.
119 Cernit et insignem clypeum, galeamque comantem,

120 et cocco ardenti juvenem radiare, simulque
121 undique primorum circum stipante corona
122 exsultare inter Gallorum, Italumque maniplos,
123 sternereque instructas ingenti caede cohortes :
124 nec mora. In adversum, quantum pote, percitus ira
125 urget equum saevisque fodit calcaribus armos.
126 Et dubitabat enim, juvenem si tardus adisset,
127 ne qui praeriperent casus et inultus abiret.
128 Utque leo, cum forte cavo digressus ab alto
129 prospexit nitidum juvenili aetate juvencum,
130 pascentem nemore in medio et viridantibus herbis,
131 duraque lunato ferientem robora cornu,
132 advolat et dorso insiliens trahit unguibus uncis
133 viscera ; nec voces pastorum, aut tela per auras
134 jacta timet, cessere canes, timidique magistri
135 illicet impasto praedam liquere vorandam.
136 Sic illum mortemque piis et saeva minantem
137 vulnera, Gallorum Princeps invasit et alte
138 extulit insurgens dextram, mediasque per oras
139 ingentis clypei ferrum Goffredus adegit :
140 abscidit ac subito totam quo vulnere laevam,
141 semianimesque simul digitos, illi usque micantes
142 retractam parmam et ferrati roboris ansas.
143 Ast ictum ingeminans, Persae subeuntis ab alto
144 dextram humero penitus ferro decidit acuto.
145 Aufugiunt tunc una omnes, quibus una tegendi
146 cura fuit lateris frustra commissa labantem,
147 dum refertur equo et versantem in morte relinquunt.
148 Ceu cum forte leo teneros deprendit alumnos
149 ubera sugentes cervae, tectumque cubile
150 servantes, miseros infregit dentibus artus :
151 exhaustitque animum calido cum sanguine, quamquam
152 mater abest propius : taetro tamen acta timore
153 nullum illa auxilium coram pereuntibus affert.
154 Verum inter quercus fugiens, fagosque comantes,
155 abdit se in nemorum densas tremefacta latebras.
156 Nec tamen incolumes tanto e certamine turpem
157 corripuere fugam comites : sed pone secutus
158 huic ense per dorsum adigit, stomachumque, jecurque
159 perfodit : averso patet ingens pectore hiatus,
160 vulnificusque calybs per costas exit in auras,
161 dividit illi humeros : alii caput amputat et se
162 conjicit huc illuc atque, ut vis atra corusci
163 fulminis et saeva rapiantis cuncta procellae,
164 quae nemus umbriferum saepe ab radicibus imis
165 sternit humi, secumque rapit tecta alta, domosque
166 non aliter, quacumque viam secat inclytus heros,
167 injecto fuga hostiles terrore phalanges,
168 et cunctis infert nullo discrimine letum.
169 Caede tamen tanta nusquam deterritus hostis,
170 instauratque aciem, turmasque opponit et urget :
171 hortaturque suos, verbisque instigat acerbis
172 Turcarum princeps et dux Solymanus. "Equestres
173 huc properate viri, vestrisque repellite victos
174 viribus, excelsus quibus est objectus Olympus,
175 hic lacus Ascanius, vastumque Propontidis aequor ;

176 intentusque oculis Thracum regnator in omnem
177 fortunae adversae casum, fuga nequa patescat.
178 Audete. Hanc vobis praedam Deus ipse paravit,
179 si modo vos illos animis praestare potestis,
180 quos ausi paulo ante mihi promittere, pugnae
181 unanimes duce me primum certamen inistis."
182 Sic fatus multis madefactam caedibus harpem
183 stringit et instructo subeuntes ordine Belgas,
184 quos Cimbri in pugnam soboles Rolonis agebat.
185 Cujus ab incursu magna virtute repulsus,
186 vulnereque accepto, qua cassis aenea collum
187 ima tegit, pugna sese subtraxit ab acri ;
188 inque extremum agmen, collesque recessit in altos.
189 Tum vero campum Persae liquere patentem
190 praecipites, certamque fuga reperere salutem.
191 Multi etiam tergo Gallis instantibus ultro
192 dedebant, turpique jugo, tristisque premendos
193 servitio sese ; sed nemo ex agmine tanto,
194 quamquam humilis, quamquam supplex, servatus ab ullo est.
195 Postquam igitur disjecti equites, fusique manipuli
196 Persarum, campo penitus cessere patenti,
197 heroumque adeo voces, sonitusque tubarum
198 imposuere modum pugnaeque et caedibus atris,
199 victores redeunt munita in castra Latini
200 sub noctem et vires recreant, vinoque, ciboque
201 et sese laeti excipiunt ac vulnera curant.
202 Ast alii perfundunt (alto) corpora somno
203 et partim observant vigiles aditusque, viasque
204 excubiae, fidisque datur sua tessera castris.
205 Interea toto depellit sidera caelo
206 Aurora, in roseis fulgens exorta quadrigis :
207 cum dux, imposita est uni cui cura piorum,
208 mollibus e stratis opera ad Mavortia surgit
209 impiger et magnas hominum, divumque parenti
210 laetus agit grates : tacita mox voce precatur.
211 "Summe pater coeptis oculos advertite benignos
212 et laudem, nomenque tuum tuearis et unum
213 illud agas, quod semper agi, fierique necesse est ;
214 quo tua per cunctas vulgetur gloria gentes.
215 Et mihi post duros, superant, quicumque, labores
216 decurrendi etiam, pro libertate tuorum,
217 da pacem aeternam, da caeli invisere sedes
218 et quamquam indignum penitus, qui praemia vitae
219 tanta feram, tantos exspectem abjectus honores,
220 quae tamen est in nos placidae clementia mentis,
221 respice me miserans et mentibus adde beatis."
222 Haec humili dux Leucorum cum corde volutans
223 lorica induitur, laterique accommodat ensem.
224 Quem quondam secum in pugnas et proelia magnus
225 imperii assertor Carolus, gestare solebat :
226 ingentem, cui ferri acies non ulla resistat.
227 Mox prae se vultusque ferens animoque recentem
228 laetitiam, egreditur, Gallosque, Italosque salutatur
229 vertice nudato, qui limina ad ipsa frequentes
230 constiterant tecti angusti, paulumque moratus
231 exit ad Addemarum (summi jus ille, vicemque

232 Pontificis cunctos inter de more gerebat)
233 exit et ad sese gratatum occurrit eunti.
234 Ergo ubi convenere simul faustumque precati
235 ire diem : prior Addemarus sic ore locutus.
236 "Goffrede, hesterna, cui tot contundere pugna
237 et belli Deus et pacis dedit arbiter hostes ;
238 nos illi in primis fas est persolvere grates,
239 eventumque humiles coeptis orare secundum :
240 hac siquidem paritura sibi videt omnia laudem.
241 Mox sociis, dextra, quicumque armisque perempti
242 Turcarum, exanimes summo sua vulnera caelo
243 testati ostendunt, quamprimum incumbere humanis :
244 et cunctis prece perpetuam deprecari pacem.
245 Corpora quo terrae glebis cooperta tegantur :
246 aethereas donec rursus revocentur ad auras :
247 aeternum inter se vitam ductura beatam.
248 Intereaque animae stellanti in sede quiescant."
249 His dictis jussere pios in aperta vocari
250 templa sacerdotes. Omnique ex ordine primos.
251 Atque illi aeterno postquam cecinere Tonanti
252 consuetas laudes, gratesque egere, diei
253 postera lux, cunctos luctu, lacrimisque madentes
254 caesorum vidit passim pia corpora terra
255 condere et infessis tumulos increscere campis
256 et maestas ferri exsequias : queis rite solutis
257 Goffredus (namque illum omnis stipata tegebat
258 turba ducum) maestos sic est affatus amicos :
259 "Si mihi vestra foret socii male cognita virtus,
260 et pietas spectata parum, quae sola coegit
261 relinquere vos patriae fines, natosque, patresque,
262 sedibus aethereis terram ut mutare liceret :
263 conarer solari animos maerore labantes.
264 Quando igitur nihil est, mentes ut ad ardua vestras
265 hortet et accensis quorumque in pectore flammis,
266 ad laudem stimulos per se currentibus addam :
267 a nobis hic stare Deum, qui vindice dextra
268 induxit sacri tam laeta exordia belli,
269 credite : victores cum prima excedere pugna
270 contigit et magnas Turcarum infringere turmas,
271 felices peperere suo qui sanguine nobis
272 spem tantam atque aditum ad Solymos stravere patentem :
273 quod reliquum est, vos, o socii, vos protinus unum
274 admoneo, curare pii ne pectore labes
275 insideant vestro et deturpent crimina mentes.
276 Unde hominum divumque pater compulsus in iram
277 avertatque oculos et poenas irroget aequas.
278 Nam quo res nobis primum feliciter acta est :
279 illius hoc magis insidiae, fraudesque cavendae :
280 qui nobis nigras diri Phlegethontis ad undas
281 deceptos misere secum devolvere quaerit.
282 Quamquam etenim dextris fidendum et fortibus ausis,
283 adscribenda Deo tamen est victoria, cujus
284 freti ope barbaricum Turcarum evertere regnum
285 conamur, Solymaeque urbis juga solve genti."
286 His dictis, jussique omnes assidere muris
287 urbis et ad pugnam corpusque animumque parare,

288 crastinus aetherios cum sol recluserit ortus.
289 At Rex Persarum postquam virtute repulsus
290 Christicolum, sese in montes, latebrasque recepit
291 saucius, atque animo nimium jam fractus et aeger
292 constitit ; innumeris ceu cum pater ignibus aether
293 fulgurat et magnum miseris mortalibus imbrem,
294 obruere et nivibus terram, aut contundere vites
295 grandine, vel belli tristes recludere portas
296 apparat et caeli saevas denuntiat iras.
297 Sic ille ingeminans suspiria ducit ab imo
298 pectore nec requiem tristi dat cura dolori.
299 Quem, quotiens oculos amissae obverterat urbi,
300 tristis in immensum totiens augebat et auras
301 se miserum inclamans, questu rumpebat inani.
302 At quotiens nostrorum acies insidere campo
303 nec temere huc illuc discedere ab ordine quemquam,
304 ipsaque per noctem nullis splendescere castra
305 ignibus et nullo strepitu commota cieri
306 spectarat : molem belli miratus et usum
307 armorum insuetum, genibusque et corde tremebat.
308 Ergo animum in partes varias dum dividit et se
309 versat, ut obsessae succurrat providus urbi.
310 Alloquitur comites (comitum quae turba Tyranni
311 adstiterat lateri) : "Qua spe nunc fugimus, inquit,
312 hostibus et nostris populanda reliquimus urbis
313 moenia ? Quid superest, regno quin exuar omni ?
314 Haec prostrata solo si (forsan) claustra refringent
315 imperii et Syriae fines, aditusque recludent ?
316 Quod si quem virtus Persarum exciret et urbem
317 ingressus Gallos compesceret exsultantes,
318 Bithynaque procul prohiberet ab arce repulsos,
319 sperarem lectis iterum, quae multa supersunt,
320 auxiliis, opibusque meis ferroque, fameque
321 absumpturum omnes et funera saeva daturum."
322 Obtulit hic nemo sese tam magna petenti.
323 Sed victi tacuere metu, spes irrita namque
324 defendendae urbis de pectore cesserat ollis.
325 Sola inter Persas Tomyris stetit ausa, suam quae
326 praecipiti a cursu generosa represserat alam.
327 "Ipsa ego me, quaecumque (inquit) fortuna sequatur,
328 temptaturam aditum numquam, Rex magne, negabo
329 ocllusum excubiis circum, vigilumque corona.
330 Tu vero, quae mox instant facienda, videto."
331 Tum Rex Persarum lacrimis, sic fatur, obortis.
332 "O nostri Tomyris columenque et gloria regni,
333 heroinarum soboles certissima matrum,
334 quas ego, pro virtute ista, pro talibus ausis,
335 gratus agam grates ? Non, si me maximus orbis
336 terrarum accipiat dominum, regemque salutet
337 ipse suum, sperem donis aequare laborem
338 posse tuum, sed quod superest gratissimus illud
339 praestabo, ut tantae memorem me praedicet aetas
340 virtutis, quaecumque instat, quaecumque futura est."
341 Haec ille et jam se Hesperii sol merserat undis :
342 et tenebris terras nox prima involverat atris,
343 Gallique, Ausonisque omnes a caede reversi

344 servabant aditus, ne quis speculator in urbem
345 ingressus, Turcas exhortaretur, ut arma
346 unanimes caperent, spemque in virtute locarent.
347 Ergo illa, ut facimus cunctis memorabile saeculis
348 ederet : ac famam, nomenque attoleret astris,
349 ipsa suas comites ad se vocat. Harpalycemque,
350 Nanidaque et Raeo et celerem praestantibus ausis
351 Pisidicem et cursu solitas praevertere ventos,
352 Anthippemque, et Larissam, pulchramque Epicastem,
353 atque alias, quas illa omnes experta fideles
354 noverat in primis bellorum ad furta paratas
355 atque ubi convenisse videt : sic ore locuta est.
356 "Cernitis o sociae, qua res perculsa ruina
357 nostra labet : quantis hostes legionibus urbem
358 Nicaeam obsideant : latis quot funera campis
359 nostrorum ediderint. Superest vix unus et alter
360 e ducibus, quorum dubiis spectata periculis
361 consuerat virtus, ceu frondes concita venti
362 vis prosternit humi, densas aperire phalanges,
363 aereque fulgentes equitum diffringere turmas.
364 Sic placitum fati et nusquam nostra tuenti
365 Abdaridae : dum saxa colit scopulosa Mochurae
366 et sese Arabiis felix oblectat arenis.
367 Stat tamen adversae fortunae opponere pectus :
368 et niti quacumque via, ne funditus omnes
369 has evertat opes, Solymanumque improba regno
370 exuat et patriis Turcas, quicumque supersunt,
371 finibus extorres alieno jactet in orbe.
372 Quando igitur turmisque suis et viribus hostem
373 acriter instantem nobis, letumque ferentem
374 sustentare minus valuit via certa salutis
375 una haec se nobis nunc tantum ostendit et offert
376 Nicaeam si nostram animis et fortibus ausis,
377 quam circum oppugnant, tutari audebimus urbem,
378 inque fide retinere, moramque afferre Latinis ;
379 quo minus ulterius tendant, Solymaque potiti
380 arcibus in summis victricibus signa reponant.
381 Atque hoc qua fieri possit ratione, docebo.
382 Est via per medios calles occulta, maligno
383 anfractu, Ascaniam quae ducit adusque paludem :
384 nulli nota nimis peditum, equitum : sed inter
385 horrentes dumos quamvis salebrosa, latensque
386 et mihi venandi longa assuetudine et usu,
387 cum saepe in silvas ibam incommitata nigrantes,
388 trita satis, seu clara dies detexerat orbem,
389 seu nox ingenti terras obduxerat umbra.
390 Hac ego, si Gallis incustodita patebit
391 pars ea, qua tacitis tectus datur exitus, urbem
392 protinus ingrediar : sin autem obsessa negabit
393 introitum : Ascaniam demittere corpus in undam
394 haud pigeat, nandoque urbis prope moenia ferri.
395 Quo se nostrorum suerunt inferre carinae
396 incurvae et populo dites exponere merces.
397 Hic si me incolumen rerum sors prospera sistat,
398 nil vereor, quin acceptae pars maxima cladis
399 Christicolum genti penitus cadat irrita et omnem

400 vincendi spem praecidat : Syriaque relictā
401 Europam cogat, patriosque revisere fines.
402 Namque urbe ex ipsa pulsus, quibus unus Iesus
403 est Deus et nostri per vim dominantur iniquis,
404 nullae usquam insidiae nobis, vis nulla timenda est
405 praeterea, exitium rebus quae triste minatur."
406 His dictis. Visa est oculis effundere flammās
407 et simul instantis tenebras depellere noctis.
408 Obstupuere animis comites atque aequoris instar,
409 cum fremit, exigua si summum impellitur aura,
410 horruit ipsa cohors, reliquisque silentibus una
411 Erippe, ante alias Tomyri fidissima : "Tantum
412 quae facinus non laudet ? ait ; quae nam tibi sese
413 deneget egregii sociam male grata laboris ?
414 Ipsa ego per latebras nemorum, per aperta viarum
415 strata sequar : non me tecum remoretur euntem
416 ipsa palus ; quamvis pelagi se fluctibus aequet
417 et penitus Zephris, Eurisque agitata dehiscat."
418 Vix has ediderat fidenti ex ore loquelas
419 Erippe et reliquae simul assensere sorores,
420 parendi studiosa cohors, devotaque morti
421 pectora, cui comitem se gloria protinus addit ;
422 gloria magnanimis ingens hortamen et acer
423 fortiter audendi stimulus ; concordibus inde
424 carpere iter coepere animis, tectaeque per umbram
425 obscurae noctis, perque avia collis iniqui
426 ad ripam venere lacus prope moenia, quantum
427 cressa levis jactu metiri suevit arundo.
428 "Hac (inquit Tomyris) quoniam praeclusus ab omni
429 parte alia est aditus, nobis fallantur oportet
430 perpetuae vigilum excubiae, quae moenia circum
431 obsedere urbem et densa cinxere corona.
432 Audendum est res eversas audacia saepe
433 sublevat, ignavos odit fortuna, Deusque.
434 Nec, nisi qui patitur vinci se, vincitur ullus.
435 Vos mecum, o sociae, Tanaimque, Istrumque tumentem,
436 atque Borysthenias undas, amnemque Diaspem,
437 et vada Maeotis nando tranastis et hosti
438 ante exspectatum castra opposuistis, agrosque,
439 et sata victrices vastatis et oppida ferro.
440 Non alias animis, quam nunc, magis usus avitis
441 non manibus rapidis nandi non arte magistra :
442 in Scythia primis cui jam assuevistis ab annis
443 horrida cum glacies ventis astricta, nivesque
444 Riphaeae et gelidis loca circumfusa pruinis,
445 quae reliquis afferre moram suevere, metumque,
446 vos unas ad Martis opus, bellique labores
447 discendos jam tum velut opportuna vocabant.
448 Eia agite et vosmet mecum demittite in undas."
449 His dictis praeceps ab equo defluxit Amazon,
450 Armeniamque humeris tigrim dejecit ab altis
451 et pulchros membrorum artus, pulchrosque lacertos
452 exuit et nudo consistit corpore in acta.
453 Tum pharetram tergo, peltamque accomodat, inque
454 uno eodemque simul conjungit fasce securim
455 ancipitem et laeva sinuosum corripit arcum

456 ingrediensque omnem projecti litoris oram
457 exsuperat pedibus ; donec se se aequore mersam
458 nutricum tenus esse videt, tum namque profundus
459 incipit hinc atque hinc plantis impellere fluctus,
460 exstet ut totius ingentis pectoris auctus
461 cetera pellucens summa lacus integat unda.
462 Illicet illam etiam certatim imitata sororum
463 tota cohors, claram nando secat acta paludem.
464 Atque haec nunc sequitur, totum nunc praeterit agmen
465 et dominae gaudet sese ostentare natanti.
466 Ut cum semifera verrentes aequora cauda
467 pistrices, vada salsa secant, epulasque requirunt.
468 Utque etiam tranare ferunt maris alta reposti
469 cannibales, pedibusque atros evincere fluctus
470 et nantes calamis miseros configere nautas.
471 Ac jam jam chorus omnis eo pervenerat ; unde
472 excubiis Gallos positos obsidere jussit
473 moenia Goffredus, quos tunc innubilus aether
474 dispergens terras sublustri nocte patentes
475 prodidit et media tacitas detexit arena
476 bellatricum oculis ; ergo stetit agmen et arcu
477 ante alias omnes Tomyris conversa sagittam
478 imposuit, jecitque simul : fugit illa per umbram
479 noctis et in jugulum vigilis delata, reclusit
480 faucium iter ; qua tristem animam cum sanguine fudit ;
481 labitur infelix, dum vocem mittere tentat,
482 mutus humi atque atram trepidis contundit arenam
483 calcibus et litus moriens petit ore cruento
484 sors eadem alterius, cujus procul inde tuentis
485 forte locum, subito medium per pectus adacta
486 transfixit cordis latebras letalis arundo.
487 Mox alium Lampedo, alium Marthesia virgo
488 dejecit et ripam viduant custodibus omnem.
489 Ut videre igitur nullum superesse, profundo
490 qui somno exciret reliquos et ad arma vocaret,
491 quo fors laeta vocat : "Polymela quid impedit, inquit,
492 quo minus egressae desertam in litoris oram,
493 illicet ad caedem cunctae properemus inultam ?
494 Et nostras multo saturemus sanguine dextras
495 securi dum quique jacent in gramine, dumque
496 corpora ab externo recreant defessa labore."
497 His dictis ; alacres ripae adnavere relicto
498 gurgite et ut rabidae suerunt ad ovilia tigres
499 pergere, siquando rabies agit improba edendi,
500 protinus invadunt lati tentoria campi,
501 et primum impacta fronti Regina securi
502 Axylum perimit, Druidum qui sanguine cretus
503 in Remis, inter cives se primus agebat
504 dives inexhaustis argenti, auri que metallis.
505 Quique opibus multos aleret, bellique, domique
506 splendidus et numquam non hospes amabilis ulli ;
507 sive is ab externis ad se diverteret oris,
508 sive ille e media conviva accederet urbe
509 ignotus, nutusque : omnes nam laetus eodem
510 et vultu accipere et dignari suerat honore.
511 Quorum non ulli prostantem e pectore somnum

512 femineae miserum tum subtraxere bipenni,
513 nec fratres non longe illinc juvere cubantes.
514 Huic etenim laevam ferrum libravit in aurem,
515 fundentemque animam media inter strata reliquit ;
516 illi autem assurgens resupinum in guttur adegit
517 immitem chalybem, atque humeris exemit utrisque
518 uno eodemque ictu caesum caput, inde Lycarbam,
519 atque Hypanim, atque Lycum mensae, thalamique ministros
520 et fidum in primis custodem ad limina Obellum
521 interimit : neque parcit Hylae, quem pulchra Telimno
522 Hercyniis furto conceptum in vallibus imis
523 progenuit, formae notum praestantis honore
524 et patri in bellum Coto commisit eunti.
525 Coto Tectofagum regi, quo justior alter
526 nusquam erat in Gallis, nec qui, si forte pedestres
527 instarent pugnae violentior iret in hostem.
528 Verum huic non virtus belli testata, domique
529 profuit, aut illi pulchrum decus oris honesti.
530 Quando ambos, eademque manus, visque aspera ferri
531 perculit atque eadem somno nox una perenni
532 obruit et caedem miscens natique, patrisque
533 hostilem amborum tepefecit sanguine terram,
534 addidit his alium, atque alium metuenda virago ;
535 Draesumque, Astyalumque, Antebrogiumque novarum
536 rixarum auctorem, coeptumque ad nobile fama
537 accitum Androgeum, (ac) Rheni sceptrum bicornis
538 detulerant Batavi et certa se lege regendos
539 Vangiones dederant, dextrisque, animisque feroces.
540 Ac tunc unanimi Gallos in bella secuti
541 assensu, communem hostem depellere Turcam
542 finibus (e) Syriae, Solymaque ex urbe volebant.
543 Fecissentque alacres : illa nisi Rege perempto
544 nocte duces sibi praeficerent, cui turbida fandi
545 copia, cui male sana fides, ancepsque voluntas
546 suasit ut in patriam sprete pietate redirent ;
547 nec rediere tamen ; quando discordibus inter
548 sese animis acti, partim morboque fameque.
549 Et partim absumpti periere hostilibus armis.
550 Nec minus in reliquos somno, vinoque sepultos
551 femineae saevire manus Larissa Pharacem ;
552 Antippe Lyrcum ; Rhobium Polymela, Lamumque
553 Pisidice ; Lamyrum Celtine ; at Nanis Asylum
554 sustulit ; Arcentem Rhaeo, Caeneumque Epicaste ;
555 Harpalyce Piasum ; pectus Menaippa Phayllo
556 recludit misero, justas qui conjugis iras
557 ut fugeret, procul a patriis discesserat oris,
558 abducens secum turpis mala gaudia lecti,
559 oblitusque sui, caelestis et immemor aulae
560 in gremio pulchrae laetus recubabat amicae.
561 Infelix, tantam qui numquam e corpore labem
562 eluere, atque animum stellis inferre parasset.
563 Ergo ille, exanimis dum multo sanguine lectum
564 commaculat, mollem manibus perquirat amicam.
565 Illam autem somno excitam et clamare volentem
566 occupat Erippe, faucesque edidit et : "Haud tu
567 digna, ait, es nostrae caedant cui colla secures.

568 Sic morere, atque una bellis, castrisque relictis
569 i comiti comes usque tuo ; quemque ipsa secuta es
570 perque nives glaciesque atras, ne desere amantem."
571 Vix haec ediderat secum, caedemque parabat
572 inde aliam atque aliam, tacito cum murmure Nanis
573 conversa in Tomyrim, "Satis est Regina, superque
574 poenarum exhaustum : jam jam pars ultima noctis
575 instat, ait, vigilesque alios vocat hora, locusque."
576 His dictis avidas revocant a caede sorores.
577 Et ripam repetunt, unde excessere, lacumque.
578 Protinus ingressas portu Nicaea recepit,
579 laetaque sublimis reclusit limina portae.
580 Illae, ubi victrices urbem intravere patentem
581 caesorum contis capita affixere virorum,
582 quae post sublimi protenta e vertice muri
583 inspiceret longe Gallorum exercitus omnis.
584 Interea nox atra nigris invecta quadrigis
585 Hesperium pelagi properans descendit in aequor.
586 Et sol exorto vestivit lumine terras.
587 Jamque duces Gallique omnes, fortesque Britanni,
588 atque Itali excierant stratis e mollibus artus
589 visuri stragem vicino in litore factam.
590 Ascanias igitur tum ingens concursus ad undas
591 et singultantes etiam tum sanguine truncos.
592 Ingentem caedem, atque immania vulnera et ipsa
593 mirantur Scythicis infracta securibus ossa.
594 Mox etiam turrata oculis ad moenia versis
595 una omnes capita arrectis miserantur in hastis,
596 absumptosque dolent socios furtoque, doloque.
597 Quorum aliquis : "Non tempus, ait, lugere, sed acres
598 sumere de victis poenas et vertere ab imo
599 moenia barbariae dirum testantia morem ;
600 et scelus infandum proclivis ad impia gentis.
601 Haec dum illi inter se, summis e moenibus hostis
602 maerentes animos dictis irritat amaris,
603 turpiaque in cunctos jactat convicia Gallos.
604 Eia agite, o viles animae, quae nostra relictis
605 finibus Europae regna appetiistis, opesque.
606 Quis vos torpor habet ? Quid statis inertia terrae
607 pondera ? Cur muris jam non succeditis ? Atque haec,
608 haec si delectant oculos spectacula vestros
609 aspiciate et posthac miseri sperate futurum,
610 moenia ut exornent tales vallata coronae."
611 Haec ubi sacrilega fudere opprobria lingua,
612 tormento capita imponunt abscissa piorum,
613 inque acies circumfusas (miserabile visu)
614 ejaculantur, adhuc taetro manantia tabo.
615 Tum vero ignescunt irae et dolor ossibus ardet
616 Christicolum ; scalasque petunt, pugnamque lacesunt
617 eminus, in muros jactantes tela, facesque.
618 Atque utrimque cadunt multi ; cadit optimus inter
619 Insubres clari soboles generosa Triulci
620 Ixander, jaculum in turrim dum librat, et Ilum.
621 Dejicit exanimem, nec toto umbone tuetur
622 ipse sibi cautus laevum femur ; unde furenti
623 trajectus cornu, letali concidit ictu.

624 Quin etiam Phrearus claro de sanguine natus
625 hic, ubi Taurinus inter depressior unda
626 Eridanus se caelo effert gratissimus amnis,
627 concidit immiti percussus tempora glande,
628 dum nostros revocat gladiisque, animisque furentes,
629 conantesque manu frustra divellere murum.
630 Ast alia de parte Darin, dum vulnera ab alta
631 turris inaccessae parti subeuntibus infert,
632 pondere saxorum ingenti, levibusque sagittis,
633 scorpio in adversum veniens trajecit ; et arce
634 praecipitem a summa dejecit ad ima, caputque
635 ille cadens affixit humi, saxumque cerebro
636 dispergens multo tepefecit sanguine terram.
637 Quin etiam Alcimedon, cujus virtute, manumque
638 stabat adhuc res Turcarum, Nicaeaeque sese
639 clausa tuebatur, multis dum pectora verbis
640 excitat Abdaridum et nostros procul usque repellit,
641 transfixus jaculo vitamque, urbemque reliquit.
642 Ac, nisi nox densis pugnas exorta tenebris
643 divideret, scalae potuere ad moenia ferri
644 illa ex parte suis jam defensoribus orba.
645 Quamquam incredibili populum terrore labantem
646 firmabat, pugnamque acrem integrare jubebat
647 accurrens Tomyris. "Nec vos, ne terreat, inquit,
648 o, totiens dubiis jam cognita pectora rebus,
649 unius jactura animae ; nec stare putate
650 regna una hac tantum nobis suffulta columna ;
651 ut si fracta cadat, secum convulsa ruina
652 cuncta trahat sic, ut nusquam spes ulla supersit."
653 Talia vociferans ad propugnacula rursus
654 murorum et turres populum se ferre coegit,
655 excubiisque urbem et lecta statione tueri,
656 dum septem ostentat caelo nox clara triones,
657 et densae invitant bellorum ad furta tenebrae.
658 At Graium dux Thatinnus, cui prospera rerum
659 tantarum attulerant ingentem eventa dolorem,
660 postera cum primum primis orientis ab oris
661 orta dies animos generosa accenderet ira,
662 et consueta Deo solvisset vota sacerdos,
663 heroum coetu in medio sic farier inquit.
664 "Dum circumsessam variis assultibus urbem
665 urgemus, frustra aditus tentamus iniquos,
666 o fratrum generosa cohors, cecidere perempti
667 bellantum innumeri ; nec non procerumque, ducumque
668 pectora multorum fortissima ; nec tamen ulla
669 spes est sublimes nos posse ascendere muros
670 audendo et clausis robusta repagula portis
671 vellere et effractis evertere moenia claustris.
672 Ergo ego, si veri quidquam mens augurat et me
673 debellandi artem certi docuere parentes,
674 invictique duces, hostem obsidione premendum
675 censeo et a pugnae dubio certamine nostros
676 arcendos ; dum plebem aliquid penuria cogat
677 audere, atque urbem trepido miscere tumultu.
678 Nec longum in medio tempus ; ni me mea fallit
679 spes oblata animo : jam jam populumque, patresque

680 dira fames armis adiget se dedere vestris.
681 Quando omnes a terra aditus absedimus ipsi,
682 occiduaque a parte lacus, qua moenibus unda
683 affluit et clausam fruges importat in urbem.
684 Praeterea advenient instructae armisque, virisque,
685 litora quae circum invadant opulenta, triremes,
686 ostiaque Ascaniae claudant obsessa paludis,
687 accitae tales, ceu vos monuistis ad usus."
688 Haec postquam Graium simulata mente locutum
689 sensere heroes, quo rex sibi Turca priores
690 et res, et vires posset reparare morando,
691 sic dux Goffredus contra est ingressus. "Amicum
692 consilium, Thatine, tuum, quibus unica vitae
693 parcendi cura est, stimulos et gloria nullos
694 praemia ad aeternae subdit quaerenda salutis.
695 Nos autem, quorum votis optatius ullum
696 evenisse nequit votum, quam sanguine fuso
697 ire ad conspectum divumque, hominumque parentis,
698 jure omnes minus esse pii gratique putemur,
699 ignavi sociis hic si sedeamus inultis,
700 qui, promissa suo si tempore classis adesset,
701 nunc etiam humanae fruerentur lumine vitae.
702 Verum haec ille, oculis qui nostra haec aspicit aequis,
703 viderit omnipotens fandi memor, atque nefandi.
704 Ille unus tum praecipue, cum quis fore poenae
705 se putat expertem, scelerum certissimus ultor."
706 His dictis ; jubet armatos astare maniplos
707 et secum pariter scalas afferre paratas,
708 quemque suas ; tum missilibus, levibusque sagittis
709 proturbare hostem et summo depellere muro.
710 Illi alacres sese expediunt, pugnamque lacessunt
711 eminus : et jaculis et glandibus aera complent.
712 Contexta interea circum latera omnia dura
713 e larice, injectos quae machina respuat ignes,
714 tutaque contemnat saxorum pondera et ictus,
715 arietat in muros et firmas objice portas.
716 Partim etiam mole ingenti et testudine tecti
717 fundamenta altae properant excindere turris
718 atque aperire viam, cupidus qua miles in urbem
719 irruat et summa pellat de sede tyrannos
720 Abdaridas ; Christoque Deo reddantur honores,
721 dira superstitio versis quos sustulit aris.
722 Dumque oculos intenti omnes atque ora tenebant
723 in turrim et muros, contorta falarica velat.
724 Ac Tomyrim, celeres jacentem in castra sagittas
725 multaque letali miscentem funera dextra,
726 perculit, exhaustique illi cum sanguine vitam.
727 Ingemuit virgo in subita collapsa ruina.
728 Et secum unanime simul ingemuere sorores,
729 Larissa, Harpalice, Nanis, Polymela, Epicaste,
730 et dominae comes usque suae fidissima Rhaeo,
731 Erippe ante omnes. Tomyrim namque illa cadentem
732 cum procul aspiceret. "Tecum, o mihi semper amanda,
733 quo te cumque ferēs, veniam, Regina necesse est.
734 Nec mihi si pugnae fortuna pepercerit (inquit)
735 victrici, aut victae ferrum hoc et dextera parcat.

736 Ast alia ex illis. Ut me sors prospera rerum
 737 deserat, haud umquam virtus generosa relinquet."
 738 Dixit, idemque omnes una cum voce probassent.
 739 Ensibus incubuere suis in pectus adactis.
 740 Fecerat interea turris collapsa ruinam
 741 et Gallis, Italisque aditum patefecerat amplum.
 742 Cum pius Eustachides populum miseratus inermem,
 743 tendentemque manus ultro, veniamque petentem
 744 supplicibus verbis, Italos, ii namque volebant
 745 per medias turris, murorumque ire ruinas
 746 in Turcas, seseque auro ditare reperto,
 747 continuit, jussitque omnes in castra reverti,
 748 pollicitis implens cunctorum ingentibus aures ;
 749 Dum metuit, ne forte una cum gente rebelli
 750 Christicolae in caedem misti rapiantur acerbam.
 751 Ergo omnes abeunt retro, praedamque paratam
 752 sedatis linquunt animis ; mox inclytus armis
 753 Leucorum princeps regi, cui Graecia paret,
 754 urbem compositis rebus concessit habendam.

LIBER NONUS

S_9 v.1 At rex Turcarum primo certamine victus,
 2 quamquam urbem regni sedem totius et arcem
 3 amisisse dolet, tristesque in pectore curas
 4 concipit, auxiliis Persarum exutus amicis,
 5 eversisque Asiae rebus, tamen usque dolorem
 6 dissimulat vultu, secumque affatus euntes
 7 hortatur, verbisque animos exsuscitat acres
 8 in bellum et rursus vires festinus, opesque
 9 instaurare parat. "Quid enim casusque, diesque
 10 non afferre potest sperantibus ? inquit, et ultro
 11 quicumque adversis potuit succumbere rebus,
 12 ille jacet merito fortuna oppressus iniqua :
 13 nec regnare decet, nisi quem non deserit umquam
 14 imperii virtus semper fidissima custos,
 15 qua nos praeteritae sarcire incommoda pugnae,
 16 acceptamque ignominiam depellere fas est.
 17 Atque, hoc ne quemquam fallat, providimus ipsi,
 18 nam, quaecumque urbes nostra dicione tenentur,
 19 millia multa virum nemorosa ad Dyndima cogent,
 20 quos Lycus et Sagaris, Peniusque, Hispanisque, Cratesque,
 21 quos Hermus, quos Pactolus, quos amne Caicus
 22 alluit undoso et viridanti gramine pascit.
 23 Non deerit, qui saxa Cilix colit aspera, quique
 24 flumina Corcyrii potat frigentia montis ;
 25 docti omnes arcu celeres torquere sagittas.
 26 Atque illos, quoniam tanti praenuntia casus
 27 sedibus e patriis excivit fama propinquis

28 in Galatis posuisse ferunt jam castra, novemque
29 vix iter a nobis absunt semota dierum."
30 Sic ait et fidis circum stipatus amicis
31 antetulit celeres latebrosam ad Gorgona gressus,
32 vallem aptam insidiis, latrociniisque frequentem,
33 quo parte ex omni numerus se contulit ingens
34 bellatorum equitum, Persae qui jussa Tyranni
35 unanimes faciant, victumque in sceptris reponant
36 et tota ex Asia Gallos depellere tendant.
37 Nec minus Eustachides, postquam sua praemia cuique
38 detulit et magno laudum decoravit honore,
39 quos virtute animi, manuumque excellere novit,
40 edicit cunctis et equos et corpora curent
41 et sese expediant, ut cum tuba martia signum
42 prima dabit post exactos bis quinque dierum
43 anfractus, propere coeptis ingentibus instent,
44 atque animos aptent armis, ubi postulet usus
45 et res ipsa loco sese ostendatque, vocetque :
46 "In primis autem in templis casteque, pieque
47 omnia sint operata Deo, mox ordine longo
48 post actas grates hominum, divumque parenti,
49 castra sacerdotes laudes de more canentes
50 circumeant et mente pii, votisque precentur
51 aeternas mentes caelesti in sede receptas,
52 ut res respiciant Gallorum et coepta secudent.
53 Nec mora conveniunt lecti juvenesque, senesque
54 carmine qui grates dicant, divinaque longe
55 facta ferant, ut mira volens effecerit olim
56 Aegypto in media, monstrisque agitaverit urbes,
57 ut populum nube intectum defenderit aestu
58 noctis et in tenebris claro praeluxerit igni
59 disciderit pelagus, liquidasque coegerit undas
60 hinc atque hinc, veluti geminas consistere rupes
61 atque illac siccis pedibus servarit euntes,
62 arentemque manu scopulum sitientis eremi
63 diffiderit, laticesque in morem eduxerit amnis
64 undantis. Tu diruptis e nubibus escam
65 caelestem in mediis miserans descendere castris
66 fecisti ; tu nimborum e partibus Austros
67 excitos, secum vim tantam afferre volucrum
68 jussisti omnigenum, numerus vix quantus arena est,
69 quiverit ut jam quisque famem sedare, sitimque.
70 Te Phariae timuere acies, gentesque rebelles
71 finibus e patriis longe fugere relictis.
72 Te pius Abramidum populos per inane tonantem
73 suspexit, legemque tuam, tua jussa secutus,
74 post varios casus, delecta in sede quievit.
75 Te duce nos etiam saevos prostravimus hostes,
76 inque metum, turpemque fugam, quicumque supersunt
77 compulimus captamque tibi patefecimus urbem.
78 Tu Rex et Deus es noster ; tua dextera nostrum
79 robur, quo freti Turcas invasimus acres.
80 Adsis, o, placidusque juves et coepta secundes,
81 unde tibi aeternum meriti solvantur honores."
82 Talia carminibus celebrant juvenesque, senesque
83 alternis resonatque piis clamoribus aer.

84 At bonus Eustachides, perfectis ordine sacris,
85 Ausonios, Gallosque duces, acresque Britannos
86 imperat acciri, laetaeque accumbere mensae.
87 Complerant quam tosta suum, pecudumque, bovumque
88 tergora et viridi liquentia vina Donysa.
89 At postquam jejuna fames depulsa, sitisque est
90 et meritas egit grates pius ore sacerdos
91 astrorum regi atque hominum, divumque parenti ;
92 Bencius innexus crinem Parnasside lauro
93 astitit et citharae percurrens pectine chordas,
94 aeternas laudes et facta ingentia cantat,
95 delectosque duces, genus alto a sanguine Abrami,
96 ante alios omnes Josuem, qui certa secutus
97 jussa Dei, Isacidas Jordanem primus ad amnem
98 duxerit, anteferens divini faederis arcam.
99 Ac tum flumen aquis latum compleverat alveum
100 et pronum rapidos fluctus volvebat in aequor.
101 Vixque adeo in primis vestigia fixerat undis
102 casta manus seniorum oneri delecta ferendo,
103 cum stetit in faciem montis (mirabile visu)
104 intumuitque vadis superi pars fluminis et se
105 sustinuit veniens, parsque infera praepete lapsu
106 defluxit fugiens, ripasque reliquit inanes
107 et siccum calcare solum dedit arida fundi
108 Glarea, qua fluidum cymbis iter esse solebat.
109 Nec prius omnipotens genitor decurrere pronas
110 sivit aquas, populi series quam tota per alveum
111 arentem ingrediens, posuit Jericuntis in agro
112 castra, sub excelsis munitam moenibus urbem.
113 Ultima quae tandem sexti post lumina solis
114 arietibus nullis, nullo testudinis ictu,
115 nec terrae ex imis vento erumpente cavernis,
116 dum magno clamore virum, clangore tubarum,
117 et flictu armorum totus circumsonat aer,
118 procubuere solo subita collapsa ruina.
119 Perque illam ingressi dant stragem et funere mersant
120 omnia, nec cuiquam victrix manus, iraque parcit.
121 Mox canit, ut saevo vastaverit oppida bello,
122 inque fidem, verbis, lacrimisque rigantibus ora
123 inductus, celebrem Gabaona acceperit, utque
124 inde Palaestinas fidens invaserit arces.
125 Quo trepidi terrore duces, populique potentes
126 accierint magnas equitum , peditumque catervas,
127 funditus Isacidas bello delere parantes.
128 Sed pater omnipotens, cui nusquam exercitus ullus
129 obstitit, aut lectas potuere opponere vires
130 regna suas, imbrem lapidum coniecit ab alto
131 aere et hostiles infregit grandine turmas,
132 comminuitque acies, quas ut deleret ad unam
133 Nuniades, medio se sol remoratus Olympo
134 constitit, alipedesque repressit Luna jugales
135 ipsa suos caeli requiem mirantibus astris,
136 et lucem insueti terra metuente diei.
137 Ergo iis excisis legionibus, addit, ut omnis
138 a Casio ad Taurum, magnique Euphratis ad undam,
139 qua se se late regio pulcherrima pandit,

140 cesserit Abramidum tum primum in jura, fidemque.
141 Haec dum suavidico complectitur omnia cantu
142 Bencius, ingeminant laetum convivia plausum
143 et numeris Galli acclamant, Italique sequuntur.
144 Inde omnes laeti consurrexere, diemque,
145 quam longum, unanimes per castra, urbemque vagantes
146 invisere pii, si quos oppresserit acer
147 morbus et acceptum primo in certamine vulnus
148 languentes molli cogat decumbere lecto.
149 Hosque ope praesenti et verbis solatus amicis
150 Eustachides, omni cura, studioque salutem
151 procurare jubet, seseque accingere coeptis,
152 quae restant, urbem ut Solymam, sanctumque sepulchrum
153 servitio eripiant, diraeque tyrannide gentis.
154 His dictis ibat laudum spectator eorum,
155 institerant dura qui se exercere palaestra
156 aut campi spatium celeri transmittere cursu.
157 Flectere equos, vibrare hastas, attingere signum
158 depulsa ex arcu, nervo stridente, sagitta.
159 Immo etiam arentes dum sol altissimus agros
160 ureret et magnos tenuaret fervidus amnes,
161 intererat laetus, si qui super aethera discum
162 triginta jacerent aequantem pondere libras,
163 spectabatque libens, ocreas quos reddere leves,
164 et galeas tersa rubigine viderat atra.
165 Addebat se saepe etiam comitemque, ducemque
166 coetibus instructis juvenum, qui comminus apros
167 aggressi invadunt, timidosque ad retia cervos,
168 aut celeres Onagros, canibusque et vocibus urgent.
169 Interdum accedens, laetis hortatibus illos,
170 qui contecti armis fluvios innare rapaces
171 certarent, ausique essent transmittere fluctus,
172 qua patet Ascanius spatiosi gurgitis alveus,
173 implebat, partumque datis cumulabat honorem
174 muneribus, pulchrae quae cuique cupidine laudis
175 inflammare animos et in hostem impellere possint.
176 Hos inter ludos, eventaque prospera rerum
177 orta dies aderat, qua castris vellere signa,
178 incoeptamque viam miles procedere jussus.
179 Cum pius Eustachides primos in tecta vocari
180 Gallosque, Ausoniosque duces, fortesque Britannos
181 edicit, cunctosque inter mox talia fatur.
182 "Jamdudum, o fortes, concordia pectora, fratres,
183 sumpsimus optatae quantum quietis et otii
184 sit sumpsisse satis ; nunc nos insistere oportet
185 coeptum iter et sanctam Solymorum tendere ad urbem.
186 Sed quoniam superanda manu multa oppida, multi
187 prosternendi hostes, adeundique ante labores,
188 nosque Palaestinis via longa excludit ab oris,
189 consulite in medium, qua nunc ratione moveri
190 castra per insidias gentes, populosque feroces
191 expediat, quoque ipsa modo largissima victum
192 pabula suppeditent, festivaque copia frugum,
193 qua sine militiae nusquam non irritus usus :
194 non vires animi solitas, non membra tuentur."
195 Haec pius Eustachides placido sic ore locutus

196 consedit tacitus, reliquisque silentibus unus
197 Attius heroum proles generosa potentum,
198 Euganeosque inter clarae regnator Atestis,
199 surrexit, vocemque audax atque ora resoluit.
200 "Maxime Gallorum, soli cui detulit in nos
201 imperium virtus belli spectata, domique
202 te duce, siqua instant tantis incommoda coeptis,
203 aeternum nobis parient in saecula nomen,
204 famaue, depulsis Solyma de sede tyrannis,
205 exciet ad laudes numquam moritura nepotes
206 pergamus, nostris nil non superabile dextris.
207 Quamquam etenim longamque viam, durosque labores
208 et morbos, diramque famem impendere, sitimque,
209 ac varios caeli casus, aestuque, geluque
210 scimus, iterque hostes nostrum observare rebelles ;
211 attamen haec, quaecumque animis praestantibus usi
212 pertulimusque alias et nunc ventura feremus.
213 Forsan et evenient multo leviora, metumque,
214 qui nunc nostra acri pertentat pectora cura,
215 successus rerum felix ostendet inanem.
216 Pergamus, Deus ipse suos non deserit (umquam)."
217 Attius haec animis longe praestantibus heros.
218 Quem post principibus comes additus Europaeis
219 Thatinus, cui Threicii mens nota tyranni,
220 cogitat assidue fraudem. "Non fallitur (inquit)
221 qui se cumque Deo fidens committit et unum
222 esse putat, cujus tutos nos dextera reddat.
223 Nec tamen est hominum generi prudentia frustra
224 insita, qua freti tristes evadere casus
225 et lapsas res in melius reflectere suerunt.
226 Quando igitur jam victi hostes Bithynide terra
227 cessere et campos nobis liquere patentes,
228 ne bellatorum tot millia tentet egestas,
229 ingeminans hinc jam partes exercitus omnis
230 dissociatus eat ; Lydos petat illa, Phrygesque,
231 auriferumque Hermum, pulchrasque accedat Hypaepas.
232 Mox Lycia egrediens Selgae considat in arvis.
233 Haec autem interius, magnae qua Dindyma quondam,
234 et cantu et buxo celebrabant orgia matris
235 atque inter viridem Cybelon Phrygiasque Celaenas
236 tendat iter recta, perque arva feracia fines
237 Mopsopios, tractusque adiens populetur Isauros,
238 inque Lycaoniae cultos se transferat agros.
239 Hinc autem conjuncti omnes juga montis Amani
240 Conscendemus et Antiochi de nomine dictam
241 incolumes, praeunte Deo, veniemus ad urbem.
242 Urbem auro ditem, fecundamque ubere glebae."
243 Dixerat haec Graius simulato pectore ductor,
244 quo bellatorum disjuncta potentia sese
245 frangeret, ac tandem penitus deleta tyrannum,
246 quem metus angebat regni per turpe parati
247 et scelus et fraudem, formidine solveret atra.
248 Sed pater omnipotens, quo gloria tanta triumphum
249 Eustachidae pareret, clarumque in secula nomen,
250 servatis una Gallorum, Italumque manipulis,
251 heroum avertit mentem, nec callida quisquam

252 consilia in praesens animo dispexit acuto.
253 Ausonios igitur sese Boemundus et acer
254 Tancredus jussere sequi, qua parte sinistri
255 deflectunt montes Euxini ad litora ponti,
256 eamdem etiam secuere viam sua signa sequentes
257 Aulercique et Lexobii, nec inertia Celtae
258 pectora, frigenti quos flumine Sequana lambit,
259 at pius Eustachides, nec non Rhamundus et Hugon
260 in terras flexere agmen, quas longa Propontis
261 alluit, eque alto celsus despectat Olympus
262 vertice et hinc atque hinc frigentibus irrigat undis.
263 Jamque adeo Sagarim properans Boemundus ad amnem
264 venerat et jacto muniverat aggere castra.
265 Et noctem somnos ducens exercitus omnem
266 egerat atque oriens nondum fulgebat Eous
267 effuso spargens sitientia gramina rore.
268 Cum vigiles sensere hostes descendere ab altis
269 montibus et turmas campis effundere apertis.
270 Raptim igitur ductorem adeunt, castrisque propinquos
271 esse monent Persas equites, qui scindere vallum,
272 qui ferro delere pios conentur et ipsas
273 aggere disjecto fossas implere capaces
274 innumeri, quos et valles, circumque jacentes
275 confertos capiant denso vix agmine campi.
276 Haec vigiles uno ore duci, qui pectore somnum
277 jamdudum expulerat, rebusque instabat agendis.
278 Ille igitur Tancredum ad se, Cimbrumque ferocem
279 accitos, mandat totis educere castris
280 armatas equitum turmas, peditumque cohortes.
281 "Ite, ait, instructas acies ita sistite, ut amnem
282 pone habeant, ne terga hostes circumdare possint
283 impune et dubia nostros concidere pugna.
284 A laeva, dextraque equitum disponite turmas,
285 cunctaque delectis, aliique in parte laborent,
286 subsidiis firmate suis." Haec pauca locutus
287 indomiti lorica aeris, squamisque rigentem
288 induitur, surasque ocreis includit aenis.
289 Ac laevo lateri fulgentem accommodat ense.
290 Ensem, quo Rholo Normanni nominis auctor
291 regnantem in Belgis Catiulcum aggressus, avito
292 et regno et dulci spoliavit lumine vitae,
293 disjecitque acies et sanguine miscuit atro
294 Argennimque, Olinamque amnes, Eriumque, Titumque
295 exin armigero clypeumque, hastamque ferendam
296 fraxineam, galeamque dedit, cui vertice in alto
297 Amphytrioniades ferro et face conficit Hydram.
298 Atque haec dum properans ductor festinat Iapyx,
299 Goffredo in somnis, primae sub tempora lucis,
300 astitit Ida parens, qualis cum vita manebat,
301 errantem et puerum claras excibat ad artes.
302 "Quae te tanta (inquit) dementia, nate, coegit,
303 ut verbis adhibere fidem fallacibus ausus
304 quiveris Ausonias abs te disjungere vires,
305 disjectasque equitum turmas, peditumque catervas
306 objicere infidis ad caedem et funera Persis ?
307 Non ducis haec virtus, non disciplina, nec usus

308 militiae, quam magnus avus Carlusque, paterque
309 Eustachius docuit, Morinum cum victor ab urbe
310 tecum una longe saevos averteret hostes,
311 cumque hasta Cattorum acies, regemque rebellem
312 fudisti et spoliis rediisti dives opimis.
313 Surge age et Ausoniis certam legionibus affer
314 certus opem, quas Abdaridum gens dira latronum
315 insidiis positis jam funere mergit acerbo,
316 ni quamprimum ausis immanibus ipse resistas."
317 Dixit et in tenues abiens evanuit umbras.
318 At pius Eustachides, monitis commotus amaris,
319 excutitur somno subitus, stratisque relictis
320 exsurgens, animo, quae sint ea visa, volutat ;
321 incertusque an pergat iter, quo tendere coepit,
322 an vero expectet, fidus dum nuntius illinc
323 adveniat, dubiaque animum formidine solvat,
324 ingreditur supplex humili cum corde sacellum.
325 Hic precibus fuis, sacrisque ex more litatis,
326 edocet Addemarum, genitricem ut viderit Idam
327 in somnis, abeunt toto cum sidera caelo,
328 hortantem quamprimum Italiam succurrere victis,
329 divisaque acies suum iter conjungere in unum.
330 Ille autem admirans. "Non haec insomnia, dixit,
331 irrita, nec falsis alti regnator Olympi
332 ludit imaginibus mentes animosque potentum.
333 Ergo omnes armari equites, peditumque manipulos
334 ipse jube, et cunctos pugnam expectare paratos,
335 ne nostras improvisus mox verberet aures
336 nuntius et frustra auxilium properemus opemque."
337 Haec illi inter se peragunt, ducibusque vocatis
338 aere jubent fulgentem aciem considerare campo.
339 Interea caelo stellis Aurora fugatis
340 exsurgens laeto fulgore retexerat orbem,
341 atque Itali, Gallique simul testudine facta
342 conferti ordinibus stabant, hostemque propinquum
343 et clypeo, gladioque, Macedoniaeque sarissa
344 exceptura acies, densum porrexerat agmen
345 in laevum, dextrumque latus, cui junctus utrimque
346 ibat eques, Turcas saeva qui mente furentes
347 frangeret et longe solidis averteret hastis.
348 Ergo in conspectum postquam venere piorum,
349 implentes vallem diris ululatibus, acres
350 adduxere arcus manibus, solemque repente
351 eminus expulsis obscuravere sagittis.
352 Non secus ac nubes, media cum aestate volantes
353 eripiunt oculis subito caelumque, diemque
354 effusurae atrum terris arentibus imbrem.
355 Ergo aliae in clypeis, atque in fulgentibus armis
356 haeserunt, aliae nudato in corpore fixae
357 bellatorum equitum, peditumque hausere cruorem.
358 Tum vero Ausonii laxis incurrere habenis
359 praecipites, hastasque adversa in pectora acutas
360 dirigere unanimes : ceu cum furialis ab Euro
361 impetus arentes veniens inclinat aristas
362 in Zephyrum, fugit ille abiens contraria donec
363 aura cadit, mox exsurgens lata arva procella

364 verrit et infesto secum trahit omnia nimbo.
365 Sic patrium decus Ausonios et vivida virtus
366 concitat et recto saevos petit impete Turcas ;
367 sic Turcae sua terga fugae conversa dedere,
368 atque hinc atque illinc campo cessere patienti,
369 disjecti in geminas, turmis bipatientibus, alas,
370 irritus in vacuas ut cesserit impetus auras.
371 Ausonidae frustra cursus aliosque recursus
372 dum conferti ineunt, lato nec in aequore cuiquam
373 occurrunt, vallem misere pereuntibus omnem
374 implerint rigidis transfixi membra sagittis.
375 Tum Robertiades pugna commotus iniqua :
376 "Sistite vos socii, nec inultae dedite morti
377 pectora, ait, medii dum, ceu generosa leonum
378 Massylum in silvis virtus armisque, dolisque
379 obruta saepe cadit, fugitivo eludimur aestu,
380 nec datur in Turcas dextrarum viribus uti,
381 dum se proripiunt celeres, neque pectora nostris
382 pectoribus pugnando audent opponere et unum
383 illud agunt, ut nos cursuque aestuque fatigent.
384 Ergo alia ratione aditus tentandus et arte
385 pugnandum, quando nusquam locus ullus apertae
386 virtuti, dextrasque labor frustratur inanis.
387 Conversis in castra fugam simulemus habenis
388 nos quoque et hinc atque hinc turmas sistamus equorum,
389 in latera ut liceat venientum invadere, dum se
390 effundit globus ille iterum, nostrosque sagittis
391 eminus obruere atque aciem perrumpere tentat."
392 Daunius haec ductor. Contra quem talia fatur
393 Robertus, Cymbri soboles Rholonis. "An ergo
394 venimus, ut Persas astu superasse fugaces
395 dicamur ? Nostroque olim de sanguine natos
396 hoc decus, haec tanti maneat nova gloria facti ?
397 Tum mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
398 Oceanusque ingens fuis pater obruat undis.
399 Quin potius, siquid superest virtutis avitae,
400 irruimus densi, tergoque instamus inertii
401 et sequimur quacumque abeunt, seu dextera, sive
402 laeva petant, etenim numquam moriemur inulti,
403 ni vitae potius simus, quam laudis amantes.
404 Vos cornu a dextro densi committite pugnam :
405 nos autem a laevo Persasque Arabasque prememus
406 et primis misti ordinibus miscebimus omnem
407 caede aciem, aut victi morte occumbemus honesta."
408 His dictis accensa arsit dux Appulus ira.
409 "Nec mihi vita (inquit) tanti est mea gloria quanti,
410 quanti et honor claram per caedem et vulnera partus.
411 Immo haec ipsa dies tergo ne, an pectore notae
412 hostibus in pugnam gentes descendere suerint
413 Ausoniae, Tancredus ait, testabitur et me
414 patribus indecorem non umquam haec vita relinquet."
415 Haec illi inter se dum dant responsa vicissim,
416 aspiciunt facto venientes agmine Turcas
417 rursus et effusum contra contendere cursum.
418 Non aliter, quam cum Boreas a cardine fluctus
419 impulit et motas in caelum sustulit undas.

420 Illae autem in Libycos scopulos et litora vires
421 effundunt, versaeque retro franguntur et omnem
422 aspergunt circum spumis albentibus oram.
423 Ergo omnes quamprimum Itali, Boemundus et acer
424 Tancredus, fraterque bonae virtutis Hylelmus,
425 ante aciem primi opponunt venientibus hastas.
426 Verum illi, patrio de more, Cydonia cornu
427 eminus in mediam torserunt spicola turmam.
428 Dumque pedem referunt, ceu consuevere, fugaque
429 pulverulenta Italo Turcae dant terga sequaci,
430 excussus Solymanus equo, cui stridula cornus
431 acta procul medios penitus transfixerat armos,
432 tardavitque fugam, celeremque in tuta receptum,
433 dum cuncti simul assistant, aciesque jacentem
434 erigit, inque fero trepidantem affusa reponit.
435 Postquam igitur solitis nullus locus artibus usquam
436 linquitur et Turcis Itali miscentur et armis
437 arma inferre opus est, vulgo caeduntur utrimque
438 innumeri cadit, hic jaculo, cadit ille sagitta :
439 confodit hasta alios, alios Balearica fundae
440 verbera et excussae bellantum in tempora glandes
441 prosternunt passim, passim furitensis, equumque
442 urget equus, peditemque pedes, gemit obruta tellus
443 corporibus vitae jucundo lumine cassis.
444 Hernachus Andronem gladio per pectus adacto
445 praecipitem deturbat equo ; mox insilit audax
446 in Thermum et clava galeam contundit aenam.
447 Exanimes Tancredus humi Biciamque, Tamumque
448 dejecit, utque leo crudeli concitus ira
449 horrendum saevit, mediumque per agmen equorum
450 infertur, lateque omnes sternitque, fugatque.
451 Nec minus interea virtute insignis Hylelmus
452 caede madere manus, gladiumque tepere cruore
453 gaudet et in bello fratri se vividus aequat.
454 Ille Lycaonium leto dedit Aegocerontem,
455 exultantem animis, revocantem in proelia Turcas.
456 Ille Thoam et clavae percussum interficit ictu
457 Phradmonidem, Cilicum cui gens assueta rapinis
458 paruit, atque ultro ducentem in bella secuta est.
459 Addidit huic geminos Bithynae gentis alumnos :
460 delicia matris, Chromiumque et Daetora, quorum
461 non formae variatus honos, non ipsa loquentum
462 vox diversa sono patrias veniebat ad aures,
463 tum quoque mors eadem nullo discrimine facti
464 vulneris ad Stygiam demisit utrumque paludem.
465 Concidit inde manu moriens Celtiscus eadem.
466 Celtiscus, cui non poterant flaventibus undis
467 diram auri sedare sitim Pactolus et Hermus,
468 dum populos opibus spoliat, dum vertit in usus
469 ipse suos quicquid rerum fecunda creatrix
470 Lydia progignit, quicquid ditissima quondam
471 complexa est ferro sapientis regia Croesi.
472 Ergo illum socii non protexere cadentem,
473 non urbes extinctum ullae, non oppida flerunt,
474 at parte ex alia, Sagaris qua spumeus unda
475 inter saxa fluit, laxum curvatus in arcum,

476 intulerat turmas Nannetum ductor equestres
477 et caedem ingentem ediderat, qua territus ultro
478 fugit Arabs, vertit trepidantia terga Sabaeus.
479 Ipse quoque in medios hostes se Daunius heros
480 dum jacit atque manus Persarum caede cruentat,
481 Orsilochum perimit fixo in praecordia ferro.
482 Ast inter medios humeros fugientis Opheltae
483 immitem totis direxit viribus hastam.
484 Exiit illa furens latum per pectus adacta,
485 unde animam moriens calido cum sanguine fudit.
486 Et jam prima acies Turcarum exterrita fundi
487 coepta erat, inque fugam praeceps conversa ruebat,
488 cum pugna ingenti fessis aestuque sitique
489 instaurata acies equitum superadvenit et se,
490 qua globus instabat bellantum acerrimus infert.
491 Hic Itali, primo stabant ut in agmine primi
492 pugnantes, verso cecidere in proelia vultu,
493 Sanseurinus et Ucoleon et Malvetus a quo
494 ordine perpetuo gentis defluxit origo
495 Malvetiae et clarum claro de nomine nomen.
496 Quin etiam regum Medorum a sanguine cretus
497 Cambyses gladio praestans, praestantior arcu,
498 post quercum latitans Italos Gallosque sagittis
499 innumeros prostravit humi ; trajecit Hylelmo
500 pectora, Lutetio guttur, quem Sequana mater
501 miserat in bellum, comitemque adjunxerat uni
502 Hugonti. Ille autem fidus comes haesit Hylelmo,
503 nec virtute animi, nec robore corporis impar.
504 Tum vero patefacta acies : turbatus et ordo
505 Ausonidum, campoque fugax equitatus aperto
506 terga dedit Turcis : ac, ni dux acer Iapyx
507 opponat sese fugientibus, ilicet hostis
508 irruat Abdarides et victor castra revellat.
509 Namque aderant primos inter Solymanus et acer
510 Hermachus et vastum pugnae certamen obibant,
511 urgentes humeros fugientum et terga prementes.
512 Non secus atque canes gemini cum forte leonem
513 videre, aut saevis frendentem dentibus aprum,
514 accelerant gressum et vestigia pressa sequuntur
515 et pedibus freti morsu clunemve, femurve
516 attingunt, dubiique timent, ne forte reflectant
517 ora atque accepto capiant pro vulnere poenas.
518 Sic illi a tergo turmas, aciemque prementes
519 extremum dant quemque neci, metus ingruit ingens
520 omnibus atque atro nigrescit pulvere caelum.
521 At Robertiades regnator Iapygis orae
522 corde dolens, iraque animum inflammatus amara.
523 "Proh pudor, Ausonii, nostraeque infamia gentis
524 dedecora, haud ullis, inquit, delenda diebus,
525 quo vobis animi ? Quo verba audacia tandem
526 irrita cesserunt ? En haec ad pocula vino
527 plena ferebatis vestrum se quemque trecentos
528 atque etiam plures ausurum invadere Turcas ?
529 Nunc, o, nunc vobis tempus sese omnibus offert
530 audendi et laudem per splendida facta parandi."
531 Haec illum frustra jactantem et funera passim

532 edentem et fractos revocantem in castra maniplos,
533 quando aliud, quo confugeret, nihil esse videbat,
534 armatorum equitum circumstetit ala, nec ullus
535 ausus adire virum, jactis petit undique telis
536 pugnantem, summaque locum virtute tuentem.
537 Non secus atque leo, longis quem comminus hastis
538 invasere acres Libycis in saltibus Afri,
539 atque hinc atque illinc densa cinxere corona,
540 illicet impatiens conceptam exardet in iram,
541 in mediosque ruens certum petit unguibus hostem
542 et stragem infandam canibus (miserabile visu)
543 dat turbans, discerpit equos, tela obvia frangit
544 et sensim in tutae se subtrahit abdita silvae.
545 Sic Robertiades, irae quo concitat ardor
546 irruit et Lycii stricto caput abscidit ense
547 Euryali, Gyndemque simul, patremque Dolonem
548 fundit humi, Tamyrimque, Pharetaque, Demodocumque
549 et se tutantem clypei munimine Rhetum.
550 Dumque adeo praesens animis et viribus omnes
551 sustinet, ac pectus ferus huc obvertit et illuc,
552 transfixum jaculo femur et genua aegra trahentem
553 sensit eum, quo fretum, equum certamen obibat,
554 inque acies densas, inimicaque tela ruebat.
555 Ergo ille e media paulatim excedere pugna
556 et terrere hostem et vestigia lenta referre
557 reliquiasque Italum in tutos revocare receptus.
558 Interea pius Eustachides, quem fama morantem
559 nuntia commorat tantae saevissima cladis,
560 agmen agens equitum, Sagarim pervenit ad amnem,
561 cum jam fusae acies Italum palantia Turcis
562 terga darent, clamorque feriret dissonus aethram
563 vincentum et passim crudeli morte cadentum.
564 Hic Italos numero turmisque recentibus auctos
565 admonuit nigrum pulvis glomeratus in orbem,
566 Gallos adventare, sagittiferosque Britannos
567 atque insperatam victis latura salutem
568 agmina, nec campo Persis cessura superbis.
569 Ac subito. Venit, ecce venit Goffredus et affert
570 exspectatus opem ; tales toto aequore voces
571 auditae Ausoniis animos auxere, metumque
572 incussere hosti, nec longum tempus et acer
573 advenit Eustachides, unaque interrita pubes
574 Leucorum atque acres arcu jaculisque Britannii.
575 Et primi excussis caelum implevere sagittis,
576 innumerosque dedere neci, namque irrita nusquam
577 missa in confertas ceciderunt spicula turmas.
578 Mox bonus Eustachides, Italis quo densius agmen
579 instabat, metuendus equum calcaribus urget
580 et Chlorei pectus funesta perforat hasta.
581 Volvitur ille cadens madida moribundus arena
582 atque Arabum accusat secum praesagia vatum.
583 E quibus ipse sibi longos promiserat annos
584 et sobolem innumeram, sceptrumque immobile regni.
585 Nunc autem primae succiso flore juventae
586 occidit et nullis formosa e conjuge natis.
587 Corripit inde manu gladium, ceditque, feritque

588 a dextra laevaue omnes : fit vi via Turcas
589 per medios, limesque agitur latissimus et cum
590 fertur in arva ruens nivibus liquentibus amnis
591 et prosternit humi sata culta, boumque labores
592 aut cum sublimi demissum ex aethere fulmen
593 ingentes imis ruit ab radicibus ornos.
594 Jamque omnes equites Parthorum, Arabumque repulsi
595 vertebant trepidi vestigia concita retro ;
596 cum se Turcarum ductor fugientibus unum
597 opposuit, reprimensque fugam. "Quo tenditis (inquit)
598 quae latebrae jam vos tutae, qui deinde receptus
599 accipient ? Tantum ne aliquis se praestat in armis,
600 ipse suo qui vos vel nomine terreat omnes ?
601 Ite, agite, o proles veterum rediviva parentum
602 et mecum unanimes armate in proelia dextras.
603 Ipse ego Goffredum collecto robore quamvis,
604 quamvis et triplici pectus sibi muniat aere,
605 aggrediar, poenasque mihi persolvere cogam,
606 quas meruit, dum regna armis attentat iniquis
607 nostra, fidem pariter fallens hominumque, deumque."
608 Haec ait, ast illi tantis hortatibus acti
609 in dubium pugnae redeunt, et (vociferantes)
610 immisti Ausonii caelum clamoribus implent.
611 At bonus Eustachides ingenti concitus ira
612 ense ferit Staphylum, cui Susis sceptrum tenenti
613 e galeae medio surgebant vertice flores :
614 tum manibus caelum Typhon immanis et asper,
615 summus ubi clypeum fulgentem conglobat umbo,
616 invadens, pictasque vomens e pectore flammam,
617 deturbare Deos sublimi e sede parabat.
618 Dejicit illum igitur gladio per pectus adacto,
619 labentemque ab equo verbis objurgat amaris.
620 "I, nunc, et caelum manibus discinde superbis
621 improbe et haec Stygias tua fer memoranda sub umbras
622 facta, quibus magni regnum sublime Tonantis
623 reclusum penitus voluisti evertere, cui ausis
624 persolvens meritas poenas pro talibus ausis
625 aeternum miser aeternis cruciaberis flammis."
626 Dixerat haec, Dryopemque petens, ubi fibula balteum
627 aurea subnectit imas thoracis ad oras,
628 transadigit ferrum, totumque in viscera condit,
629 damnatamque animam tenebris e corpore solvit.
630 Inde it Laogonum, Sipyli cui pascua parent
631 atque auro similes Tmolus premit arduus uvas,
632 concitat acer equum ; fugit ille exterritus et se
633 contegit in tergum rejecto umbone, ferumque
634 protinus immisum duris calcaribus urget.
635 At bonus Eustachides rapidis velocior Euris
636 advolat et gladio per tergum in viscera adacto
637 perforat ingentem clypeum, lumbosque per ambos
638 umbilico propior recludit vulnere ventrem,
639 ugulaque excussum misere proculcat equorum.
640 "Nec te humiles, Demuche, preces, nec forma, nec aetas,
641 quamvis excellens primo sub flore juventae,
642 servavere tuis ; nam dum genus utraque supplex
643 flectis humi, veniamque oras et brachia tendis,

644 trajectus jaculo guttur cadis et sola terrae
645 purpureo moriens spargis madefacta colore.
646 Tecum etiam dextram percussus Amulius aurem
647 ense ruit, dum tentat opem tibi ferre, ruensque
648 illicet a laeva fusum vomit aure cerebrum.
649 Acta etenim ferri cuspidis per tempus utrumque
650 letali summos incidit vulnere servos."
651 Haec tanta Eustachides dum funera fervidus edit,
652 Ausoniosque iterum fugientem cogit in hostem
653 regnatorem in Asiae Solymanum aggressus Opheltes,
654 consiliis bonus atque aevi maturus et uni
655 credere cui suerat curas et pondera rerum
656 cunctarum, seu bella forent, sive otia passim
657 laetae agerent urbes et amicae commoda pacis.
658 "Haud ego nunc auctor tibi sim, fortissime Regum,
659 adversae ut pectus fortunae opponere tendas.
660 Mutatos videt esse Deos ? Videt omnia retro
661 versa ? Nec e nostris consistere in agmine quemquam
662 et Gallorum acies, animisque et viribus auctas
663 irruere ? Et telis complere recentibus arva ?
664 Caedamus victi, montesque abeamus in altos,
665 reliquiasque illic, superant quaecumque, legamus.
666 Forsitan insidiis regio magis apta, locusque
667 commodior nobis sese offeret : unde repente
668 vindictae dabitur non insperata facultas."
669 Dixerat haec senior, cupiens avertere Regem
670 ipse tuum, sibi ne fidens se ferret in hostem
671 cominus et forti Eustachidae congressus iniquam
672 consereret pugnam, nec Diis, nec viribus aequis.
673 Ille autem dubitans dictis ne auscultet Opheltae,
674 fortunam an rursus belli experiatur et audax
675 instaurare iterum turmas conetur equestres,
676 praecipiti Laedam ad se contendere cursu
677 aspicit, isque adeo, postquam data copia fandi.
678 "Eia age rumpe moras (inquit) Solymane, tuoque
679 si cupis incolumem servare et reddere matri,
680 affer opem nato, telis quem plurima circum
681 turba premit, semperque recentior obruit hostis.
682 Nec potis est acri sese subducere pugnae :
683 quamquam multa virum leto dat corpora et ultro
684 provocat egregia Gallos virtute feroces.
685 Ast unum quis ferre parem se pluribus ausit ?"
686 Vix has illacrimans voces e pectore Ladas
687 fuderat, oppressum cum nuntius alter et alter
688 retulit Eustachidae saevis cecidisset in armis
689 Hyldrinum : signi dandi commissa potestas
690 cui fuerat, gnatique sui concredita cura.
691 Hyldrinum, genus Odrysium, quo fortior alter
692 non fuit, et pugnam qui tanta ex parte pedestrem
693 ederet atque acres violentius iret in hostes.
694 "Auditis his e medio sese agmine Persa
695 proripit antevolans et me ne deserat (inquit)
696 quisquis amat, salvumque cupit natumque, patremque."
697 Dixerat atque illum rapida velocius aura
698 currentem, natiqque metu, tristiqque furentem
699 ira, equitum turmae actutum primiqque sequuntur

700 Persarum quocumque vocat fors ipsa parati
701 et conferre manum victori et, quicquid acerbi est,
702 morte, pati, juvenem possint ut reddere patri
703 incolumem, spemque imperii servare ruentis.
704 Non aliter, quam cum sublimi e turre columbae
705 conspexere procul passis Haliaeeton alis
706 irruere infestum et praedam captare volentem,
707 densentur coeuntque omnes, rapidoque volatu
708 praecipites, quacumque viam secat ille, feruntur.
709 Sic globus Abdaridum furialibus ocior auris
710 infertur, qua visa magis crudescere parte
711 pugna atrox, hic Etruscum Solymanus Acestam
712 dejecit instantem Persis : ferit Hermachus Umbrum,
713 Umber Hylam, Idaeus Athyn, dat Helenora leto
714 Cicius, obtruncat dextram Corcutus Ibero.
715 Dumque adeo inter se gladiis pugnacibus acres
716 exercent, volvuntque vices, nec jam pote quisquam
717 undique nitendo sese divellere ferro,
718 hortatur vox una omnes Arabasque, Syrosque.
719 "Este viri, Solymanus hic est, turmaeque recentes
720 Persarum, quae vos inimica a morte reducant."
721 Audiit Eustachides, laudisque accensus amore
722 accurrit, Persamque gravi videt ense metentem
723 Gallorumque, Italumque acies et fervidus. "Hinc vos,
724 vos hinc cedentes, uni mihi linquite tantum
725 hoc certamen, ait, vindex Deus adsit et olli
726 debitus hic mactetur honos et gloria facti
727 si sua, terrarum quae divulgata per orbem
728 terreat infidas merita formidine gentes."
729 Haec ait et late patefacto limine, regem
730 in Persam fertur praeceps. Exterritus ille
731 constitit, ac secum dubio cum pectore versat,
732 pareat an dictis, caroque ante omnes nato
733 consulat, instantum modo quem subtraxerat irae
734 Ausonidum, an rapta Eustachidae ruat obvius hasta.
735 Hoc animus jubet excelsus, generosaque virtus,
736 atque accepta recens eversi injuria regni,
737 illud amor patrius, sed qui stellantis Olympi
738 nutu sceptrata regit, mentem consistere in uno
739 haud passus, manibus Goffredi addixit utrumque
740 et patrem et natum namque hunc pietasque, pudorque
741 impulit, ut durum pugnae certamen iniret
742 et cursu patrem praeverteret ipse morantem.
743 "Tum vero furiis actus Solymanus amoris,
744 quo generose ruis ? Cui nunc te te objicis hosti ?"
745 Nate ait ? Et fodiens saevis calcaribus armos
746 ursit equum, comitemque illis sese Hermacus addit.
747 Tresque simul petiere unum, mediumque reducta
748 Eustachidae clypeum Solymanus percutit hasta.
749 Contundit clava galeam Ninus, Hermacus ense.
750 Ille velut summis in montibus aspera cautes,
751 cui faciem Boreas, humeros diverberat Auster,
752 constitit immotus, ferrumque exegit acutum
753 per fauces, gutturque Nino, quo vulnere primus
754 interceptam animam tenues efflavit in auras,
755 inflexitque caput, ceu flos, cui durus arator.

756 Vomere praeteriens caulem perstrinxit adunco.
 757 Nec mora. Fulmineum convertit in Hermacon ensem,
 758 quaque patens oculis admittit cassida lucem,
 759 egit et a malis disclusit vulnere frontem.
 760 At pater horrendum stridens, "Saeuissime praedo,
 761 qui regno, qui me natis florentibus orbas."
 762 "Perge, ait, atque animam ferro tecum aufer eodem
 763 hanc quoque, sed justus quantum dolor, iraque possit,
 764 experiare prius." Gladio sic fatus acuto
 765 irruit et totum clypei septemplicis orbem
 766 dejecit, rigidique oris thoracis apertis,
 767 Eustachidae strinxit summo de pectore. At ille,
 768 alte sublatum subito dum surgit in ensem
 769 et conum insignem galeae ferit atque comantes
 770 spargit humi cristas, iteratque ferocior ictus,
 771 complexusque virum capulo cava tempora pulsat
 772 et consopitum geminatis ictibus alto
 773 deturbavit equo, terraeque afflixit et una
 774 exhalantem anima, fluctusque ex ore vomentem
 775 sanguineos, armis nudari jussit, humique
 776 stratum vulturiis praedam, canibusque reliquit.

LIBER DECIMUS

S_10 v.1 Attigerat cursu medium sol altus Olympum :
 2 cum trepidi Abdaridae regem cum prole peremptum
 3 deserve omnes, nec sese credere castris,
 4 aggeribusque suis ausi, liquere Latinis
 5 praedandum, quicquid rerum praedives, opumque
 6 attulerat secum Persarum exercitus ingens.
 7 At pius Eustachides, postquam toto aequore fusi
 8 discessere hostes terraeve exstincta dederunt
 9 corpora nec superest quisquam, qui fortibus ausis
 10 infestum remoretur iter de more piorum
 11 Ausoniis, Gallisque suis crudelia passis
 12 vulneraque et mortem socii dat tempus humandis.
 13 Nuntius interea magno per Averno tumultu
 14 ima ruit : saevisque implent terroribus Orcum.
 15 Turcarum regem pugna cecidisse cruenta ;
 16 deletas equitum turmas, exstinctaque secum
 17 aequoreas Sagarim devolvere corpora in undas ;
 18 coeptum tendere iter Gallosque Italosque ; nec ullum
 19 esse super, qui communem defendere causam
 20 possit et a Solymis certam depellere cladem.
 21 Ille furens, faciensque alto convicia caelo.
 22 "Ite, ait, o maculae, regnique opprobria nostri,
 23 aligeri, tenebras terrae noctemque colentes ;
 24 ite infelices et, quos non abstulit ensis

25 hosticus atque atro suffusae felle sagittae,
26 conficiat, quacumque ibunt, aestusque sitisque."
27 Haec ille at dira confestim ab sede ministri
28 egressi insolitos ima ex tellure vapores
29 efflant et flammam radiis ardentibus addunt.
30 Praecipue qua se Maeandrum extendit ad amnem
31 Lydia et infesti fines attingit Isauri.
32 Post, ubi quarta diem caelo patefecit Eo
33 aurora atque omnes armis animisque refecti,
34 Gallique, Ausoniisque, sagittiferique Britanni,
35 evasere tuos laeti Bithynia fines,
36 Maeoniaeque oras inimico sole perustas
37 et nusquam arboribus dulces praebentibus umbras
38 ingressi, non fontis aquas, non ullius amnis,
39 aut rivi scatebras, quibus illi aestumque sitimque
40 sedarent, undamve pigrae reperere lacunae
41 stagnantem : cinis ater agros atque arva tegebat :
42 exusti in faciem campi, salebresque nigrantes
43 montis, ab obscura piceae caligine fumi,
44 laedebant misere peditum vestigia, equumque.
45 Hic Vatum inventis olim delusa vetustas
46 credidit, in magnum magnae telluris alumnum
47 fulmina de caelo cecidisse irata Typhoeum
48 atque illum ingenti depressum pondere terrae
49 eque imo rapidas spirantem pectore flammam
50 in cinerem vertisse solum, montesque feraces
51 Maeoniae exesis lapidum evertisse ruinis.
52 Ipsa enecta siti, solisque ardore maligni
53 et duris attrita viis jumenta cadebant
54 exanima et nimio linguis arentibus aestu
55 defecere canes passim, rabieque furentes
56 errarunt temere huc illuc, atrumque venenum
57 morsibus obscaeni letalibus inspirarunt.
58 At gravidae matres, famae, sanctique pudoris
59 immemores, passim lapidoso in tramite fetus
60 abjecere suos, resoluti e ventre cadentes
61 ante diem et tristem turba spectante laborem,
62 nec miserante tamen. Quando metus acer in omnes
63 effusus, sibi adesse uni se quemque monebat.
64 Jamque adeo campique omnes et collis iniqui
65 saxa, cadaveribus passim contacta jacebant :
66 inque dies illis gravior regionibus aer
67 excibat taetros ima e tellure vapores,
68 torreatque ardens sitientes Sirius agros :
69 nec longe spes ulla viae, finisque laborum
70 proximus, infirmas vires recreasset euntem,
71 ni pius Eustachides ambas ad sidera palmas
72 sustollens, tales fudisset pectore voces.
73 "Summe pater cujus dextra, nutuque patentum
74 terrarum ingentes tractus, caelique cavernis
75 astra affixa suis, pelagique infensa reguntur
76 murmura et obductae coguntur in aere nubes,
77 si sincerus amor, si spes fidissima, si nos
78 inter rata fides hoc votum rite coegit
79 suspicere atque alacres precibus parere jubentis
80 Pontificis, cui sola abest permissa potestas,

81 obstructum caeli reserare et claudere limen,
82 affer opem, pater omnipotens, pereuntibus aestu
83 atque siti et diras da tandem evadere terras.
84 Exustas terras, omnique humore carentes.
85 Nec te nostra minus moveant nunc vota, precesque,
86 quam movere olim Mosae pia verba, petentis
87 Abramidum populis misere sitientibus undam,
88 quam movit tuus ille tibi dilectus alumnus :
89 cum rapidum medio in caelo mirantibus horis
90 et terra trepidante metu, consistere solem
91 jussisti et longae fines producere lucis."
92 Sic fatus, lacrimis pectus madefecit obortis,
93 eque imo tacitus duxit suspiria corde.
94 Audiit orantem terrae, caelique creator
95 omnipotens, placidusque oculos deflexit ad oras
96 Maeonias, quas Tartarei regnator Averni
97 Uragus insolito succenderat impius aestu :
98 astantemque sibi vicina in sede ministrum
99 alloquitur. "Nostri, o solii fidissime custos,
100 i celer atque illinc, Lydos ubi sulphur et ignis
101 urit agros et sole tepens exaestuatur aer,
102 monstra redire jube vastum Phlegetontis ad amnem,
103 quae nunc ex Erebi Stygiis emissa cavernis
104 insedere viam, totoque ex aethere flammam
105 ardentes jaciunt certatim in castra piorum.
106 Vade age fide vigil, populisque petentibus imbrem
107 desuper infundens, citus ipso in tempore nostram
108 affer opem et miseros praesenti subtrahe leto."
109 Haec ait et nutu totum tremefecit Olympum.
110 Ille abit atque Notis secum per inane vocatis,
111 praepete Maeonias lapsu defertur ad oras :
112 impatiensque morae. "Fugite hinc, ait, impia caecae
113 monstra domus, vestrasque ultro tellure sub ima
114 exercete iras, animasque ad flagra nocentes
115 ducite, vexatas rapidi fervoribus ignis.
116 Hoc jubet immensae moderator maximus aethrae."
117 Dixit et ejectis flagranti ex aere monstris,
118 nubibus abduxit caelum, fuisque repente
119 imbribus, ardentem relevare exercitus aestum
120 et sedare sitim, coeptumque insistere quivit
121 sospes iter, terrae peragrat dum saxa perustae,
122 seque ad Maeandrum confert laetissimus amnem :
123 innumeris amnem pagis, vicisque frequentem.
124 Quem penes incedunt virides armenta per herbas
125 plurima et undantes ripas mugitibus implent.
126 Huc ubi perventum festo clamore salutant
127 flumen et irriguos undis refluentibus agros,
128 inque epulas, laetasque dapes armenta, gregesque
129 errantes caedunt, densaeque sub arboris umbra
130 expediunt Cererem, campis quae plurima in illis,
131 tergaque diripiunt, veribus quae fixa salignis
132 torruerant et vina cadis liquentia fundunt.
133 Partim etiam gelidas demittunt corpora in undas
134 et meminisse juvat, quas cuique evadere iniqui
135 contigerit Solis flammam, quamque inter eundem
136 ferre sitim et terrae cineres superare calentes.

137 At pius Eustachides, postquam lux proxima caelo
138 exegit stellas, orbemque Aurora retexit,
139 perfectis de more sacris, laetissimus olli,
140 cujus ad arbitrium summus se accommodat aether,
141 ingentes egit grates, supplexque petivit
142 erratis veniam et propensum in vota favorem.
143 Mox ad se vocat Heroes ac talia fatur.
144 "Venimus, o proceres, Divum quae maxima patri
145 gratia, liquentes Maeandri ad fluminis undas
146 atque in Pisidiae laetis consedimus arvis
147 hic nullae munitae urbes, nulla oppida, nullis
148 castella in tumulis, nulla arx impervia, nostrum
149 quae remoretur iter, passim loca consita densis
150 arboribus, virides campi, frugumque feraces
151 nec non et croceis halantes floribus horti,
152 susceptos secum invitant relevare labores.
153 Hic igitur, nisi vestra aliud sententia vobis
154 suadet et excelsi quamprimum ascendere Amani
155 praeruptas cautes, Cydrique ad flumina ferri,
156 censeo, dum sese frangat calor, usque manendum.
157 Interea, nequid post terga hostile residat,
158 Tancredus Rogeriades atque Itala pubes
159 ad praedatores Cilices et moenia Tarsi
160 hinc eat atque una saevos invadat Isauros
161 vastet agros, gentesque omni regione rebelles
162 ejiciat, sanctosque aris instauret honores.
163 Et Morini, duce Balduno, Belgaeque propinquos
164 aggressi Armenios, redigant in jura fidemque
165 Callirhoem et madidas Romano sanguine Cartas.
166 Tum quoscumque Melas et proximus alluit amnis
167 Euphrates, armis cogat parere piorum.
168 Nec vereor, quin spem victoria certa sequatur.
169 Abdaridum namque, extinctis tot millibus, urbes
170 exturbare parant summa de sede tyrannos.
171 Et tristi depressa jugo subducere colla
172 jamdudum, ceu fama refert praenuntia veri
173 haec pius Eustachides, longo quo lassa labore
174 miles et infestis obnoxia corpora morbis
175 curaret, laetisque animis atque ubere victu
176 redderet invictas ventura in proelia vires."
177 Assensere omnes dictis, agrosque feraces
178 Pisidiae legere, alerent qui castra piorum.
179 Ac, ne languerent oblata per otia : silvas
180 et nemora ilicibus passim frondentia densis,
181 hic, ubi se crebris venantibus exercerent,
182 donec iter coeptum praeceps intenderet aestas.
183 At Siculi, Belgaeque acres, sua quique secuti
184 signa ducum atque una jussae regionis ad oras
185 digressi, petiere illi te Coryce, cujus
186 secessus quondam Graiae coluere Camenae ;
187 at te, Cydne, tuo qui serpis in aequora fluxu
188 leniter et tacitis campos praeterfluis undis.
189 Hi vero Arabios, ripaque Euphratis in alta,
190 quae posita est, populisque potens dominatur Edessam ;
191 at reliqui proceres, Italique, acresque Britanni
192 et Gallorum omnis exercitus, otia nactus

193 libera, vicinas implet terroribus urbes
194 et populator agros et concutit oppida bello,
195 si qua manent immota suis custodibus et se
196 sponte Latinorum jussis parere recusant.
197 Atque haec dum fiunt rumor celeberrimus oras
198 Assyrias pervadit et auribus insonat ingens
199 invicti Eustachidae virtus, nomenque, decusque.
200 Qua fama impulsus geminae regnator Hydaspes
201 Armeniae et Xersis praeclaro a sanguine cretus.
202 Jungere amicitiam cum tanto heroe perennem
203 constituit, misitque, illi qui munera ferrent :
204 argenti solidi massas, aurique talenta
205 plurima et intextas pretioso vellere vestes.
206 Quas inter fulgebat, uti jam lumine plena
207 ipsa ignes inter resplendet Luna minores,
208 purpureumque, ingensque et nobile conopeum :
209 vatis opus priscae, quae quondam oracula Persis
210 reddere consuerat, de nomine dicta Sibyllae.
211 Illa igitur tantam saeculi praesaga futuri
212 pinxit acu vestem et mira contexuit arte.
213 Extremas nam limbus obit circumdatus oras
214 aureus et longo variantes ordine gemmae,
215 beryllus, pelagi faciem mentita virentem,
216 chrysolitusque, acerque adamas, noctisque nigrantis
217 discutiens tenebras claro splendore pyropus :
218 dum flammam vomit et rutilanti fulgurat igne :
219 fecerat in summo texti admirabilis orbe
220 omnipatens caelum stellis ardentibus aptum :
221 complexu quod cuncta suo tegit undique et aethram,
222 aeraque, Oceanumque et terras circuit imas.
223 Fecerat et Phoeben, Solemque, ignesque vagantes,
224 per duodena suos contendere sidera cursus :
225 alternant rerum unde vices et tempore certo
226 intereunt, iterumque suum referuntur ad ortum.
227 Sic Ver purpureum summos frondentibus umbris
228 vestierat montes : pratis induxerat herbas
229 gemmantes, variis ornarat floribus arva :
230 et dulci volucres implebant avia cantu.
231 Quin et per silvas errare licentius altas
232 horrentes apros, stimulisque potentibus actos
233 ire lupos, animisque ursos saevire videres,
234 inque mari, lacubusque imis genus omne natantum
235 ludere, flumineisque choros agitare (venustos).
236 Nec minus undantes segetes aestate recurvis
237 falcibus agricolae rapido sub sole metebant.
238 Ipsum etiam Autumnum dulces e vitibus uvas,
239 arboribusque suis jam mitia poma legentem,
240 quae venturae hiemi, mensisque reposta secundis
241 condirent grato Baccheia dona sapore,
242 pinxerat et tenui telas discreverat auro.
243 Hic alii volucres in retia cogere et ad se
244 allicere, ac miseris viscatis fallere virgis.
245 Ast alii in vacuas laxare Halyaeeton auras ;
246 pendentem rostro laceret qui Cirin adunco
247 et veteris poenas sceleris memor exigat acres.
248 Namque ubi sublimes supra volat ardua nubes,

249 hic etiam in summas se fert Halyaeetus auras,
250 insequiturque atrox, ubi Ciris ab aethere praeceps
251 effugit et levibus descendit in aequora pennis,
252 hic quoque praecipiti delatus in ima ruina
253 unguibus a tergo discerptam eviscerat uncis.
254 At genialis hiems montes nive contegit altos,
255 fluminaque et fontes glacie constringit acuta ;
256 immites venatur apros, ad retia cogit
257 fecundos lepores, capreas e rupibus alis
258 dejecit et cervos cursu properante fatigat.
259 At variis nemus omne canum latratibus horret,
260 rauca sonisque inflant venantes cornua bombis.
261 Inde agitant alacres juvenum convivia coetus :
262 invigilant epulis et vina liquentia potant.
263 Nec non et patrio choreas ex ordine ducunt
264 immistae pueris florenti aetate puellae,
265 quae mox jucundum constanti foedere amorem
266 conjungunt, prolemque edunt in luminis oras
267 innumeram et faustis celebrant conventibus urbes
268 quatuor in partes terrae diviserat orbem,
269 quas inter Tanais, Nilique fluentis imago
270 ibat et aequoreas Nereus immiserat undas :
271 Ammericemque omnem, quae tunc ignota latebat,
272 Oceano Ligur emenso fortissimus heros
273 recludit, venasque aperit praedivitis auri.
274 Inde Asia in media turrim Nembrotus ad aethram
275 extulerat, caelo ut tandem lacrimabile bellum
276 inferret, Divumque patrem devolveret astris
277 et se suprema caelestum in sede locaret.
278 Demens, qui tanto dignum se ferret honore.
279 Ergo operas omnes alti regnator Olympi
280 implicuit foedis linguarum erroribus unde
281 subsedit turris moles infecta minacis.
282 Ipse autem Stygios misere detrusus ad amnes
283 persolvit meritas tenebroso in carcere poenas.
284 Parte alia multis bellantum millibus urbem
285 ductor atrox, ditemque inhians avidissima praedam
286 turba, minabatur se funditus eversurum.
287 Et jam jam pressi longa obsidione, metuque
288 horribili, cives jussis parere parabant,
289 inque potestatem saevo se dedere regi :
290 cum mulier forma insigni et juvenilibus annis,
291 orba viro, sed quae thalamum servare pudicum
292 sueta Deo vitae reliquos sacraverat annos,
293 progreditur porta, cum sera crepuscula terris
294 noctis inhorrentes secum adduxere tenebras,
295 per mediosque hostes et castra inimica superbum
296 regem adit ; ac vino tandem, somnoque sepultum
297 aggreditur, strictoque audax caput ense recidit
298 et secum asportat niveo velamine tectum.
299 Illum autem e mediis cervicibus exhalantem
300 sanguineos amnes lacerum, truncumque reliquit
301 et sese ad cives recipit generosa virago
302 victricem et spoliis caesi ductoris onustam.
303 Ast olli e portis erumpunt undique apertis,
304 inque fugam vertunt dextris ultricibus hostes.

305 Parte alia Oceani, Rhenique, altaeque Pyrenes
306 finibus, intexto populos incluserat auro ;
307 invictos bello populos, regesque, ducesque
308 innumeros ; quorum virtute et fortibus ausis
309 ipsa videbatur tellus Oenotria longe
310 pellere barbariem, duroque exsolvere sese
311 servitio atque urbes positis ornare tropaeis.
312 Corpore quos inter procero atque ore verendus
313 exstabat Carolus humeris ter maximus altis ;
314 Pepini proles pietate ingentis et armis,
315 ipse armis tamen et pietate ingentior ibat
316 supra omnes, gentesque feras ditione premebat,
317 Illyricosque et Vindelicos, Unnosque feroces,
318 extremoque sitos Europae in litore Danos.
319 Olli se Cattus, nec non et Cantaber atrox
320 dedebat victum, Ligerimque infractus ad amnem
321 acer Aquitanus, Libyaeque exterrita fasces
322 submittens humilis jus, imperiumque subibat.
323 Italiam mox intranti reclusa patere
324 moenia Ticini, ducique in vincula regem
325 fecerat aetatis venturae haud inscia Vates.
326 Ipse etiam solitos reddi mandabat honores
327 Pontifici, sedemque pius sternebat avitam.
328 Quo merito passim populo acclamante Quiritum
329 audiit Augusti se nomine compellari.
330 Te quoque in arentem, Florentia dia, favillam
331 conversam, Etruscos rabie populante Getarum,
332 addiderat, quam mox animo miseratus amico
333 idem heros, cives in patria tecta vocabat ;
334 tecta opibus substructa suis linquebat et idem
335 regnandum Lodoico orbem, cui dura tuendi
336 Pontificis, facilisque dedit clementia nomen
337 ferre pii ; quamquam juveni non ille nepoti
338 turbanti Italiae res et stata regna, pepercit.
339 Mox iter emensus Scaldim referebat ad amnem
340 compositis laetus rebus, maturus et aevi.
341 Hic, ubi natorum generoso a sanguine nati
342 invicti heroes Morinos ditione tenebant
343 et quascumque oras placido rigat amne Mosella.
344 Nec procul hinc virgo stabat, cui sanguis avitus
345 addiderat cunctos formae immortalis honores
346 progenies regum et reges paritura potentes.
347 Imperio quorum felix Etruria sese
348 attollens parta florebat laeta quiete.
349 Nec tu conjugio ram clarae Heroidos aucte
350 Ferdinande aberas, Tuscae dux inclyte gentis :
351 aliorum soboles deducta ab origine patrum,
352 inque sacro virtus Romae spectata senatu
353 saepius ; insigni summam diademate frontem
354 evinctus, dextra sceptrum regale gerebas.
355 At Gessoriacum medio ostentabat arena
356 heroem, fracti capulo qui comminus ensis
357 terque, quaterque caput percusserat hostis, humique
358 straverat indutum galea et fulgentibus armis
359 aequatamque ausum secum committere pugnam.
360 Idem etiam claras Syriis in finibus urbes

361 hostibus eversis et magna caede fugatis
362 in libertatem victor revocabat et ultro
363 Christicolis Solymae portas praebebat apertas.
364 Hac pius Eustachides laetatus imagine rerum.
365 "Armenio grates ingentes (inquit) Hydaspi
366 vos agite et dextrae dextram jungite nostram,
367 qua pote et haud umquam tanti fore dicite amici
368 Goffredum immemorem et secum memorabile munus,
369 quo se cumque feret, ceu magni pignus amoris
370 laturum, gratique animi rata signa daturum."
371 Haec ait et donis auctos discedere jussit.
372 At Galli, quos cunctarum penuria rerum
373 vexarat, misereque ingens afflixerat aestus,
374 exercere dapes festas, pedibusque choreas
375 plaudere, virginibus mixti per compita, votique
376 immemores suscepti animum oblectare sedendo.
377 Quin etiam proceres ipsi, firmissima belli
378 fundamenta pii, vitae dulcedine moti
379 illius, aestivos luxu fregere calores.
380 Forsan et obliti pariter decorisque, sui que
381 haerent, traherentque datum per talia tempus
382 otia ; ni caeli magnis delapsa cavernis
383 Ida parens, natum in somnis affata monerent.
384 "Nate oculis, vitaeque mea mihi carior ipsa,
385 in terris olim, cum vita, oculisque fruebar,
386 non hic ut sedeas, atque omne inglorius aevum,
387 delicias inter molles consumere pergas,
388 progenuit pater Eustachus ; nec gloria gentis
389 illa tuae, terrae totum diffusa per orbem.
390 Nec pater, aethereis qui solus regnat in oris,
391 evocat Hesperias sub te ductore cohortes
392 ad lucos, ad agros, ad pascua culta Syrorum ;
393 verum, ut depulsis Solymae de sede tyrannis,
394 eversas aras, eversa que templa reponas :
395 quae mox Christicolae, leti formidine dempta
396 invisant, sanctoque acclinent genua sepulchro.
397 Surge, age : jam satis est cunctis legionibus oti
398 nate datum, nihil est quod te remoretur euntem
399 ad Casium et flumen celebri cognomine Orontem."
400 Dixit et in tenues abiens evanuit auras.
401 At vero Eustachides monitis obmutuit amens
402 auditis, totoque repente e pectore somnum
403 expulit et stratis ingentia membra relictis,
404 attollens caelo palmas cum voce tetendit.
405 "Summe pater, qui cuncta vides, qui cuncta gubernas,
406 quique hominum mentes scrutaris et intima cordis
407 perspicis et caelum et terras pervadis et undas :
408 non ego desidia turpi me solvere culpa,
409 deliciisque animum languentem et mollibus umbris
410 excusare ausim : nil jam mihi deleat unam
411 te penes hanc labem, nisi quae tam saepe miserta est,
412 in te peccantum placidi clementia cordis.
413 Afflictae quamquam cupientem incommoda gentis
414 demere et ad coeptos vires recreare labores,
415 in tantam potuit regio deducere fraudem
416 fertilis et cunctis longe ditissima rebus."

417 Sic ait et properans fulgenti accingitur ense.
418 Ac jam caeruleis caput aureus ignivomum Sol
419 extuleratque undis, totoque illuxerat orbi,
420 undique cum proceres ad se fortissimus heros
421 evocat et placidus verbis affatur amicis.
422 "Effluxere dies tandem, quos Sirius ardor
423 efficit infestos hominum generi atque ferarum,
424 tempestasque anni jamdudum et mitior aer
425 nos monet, o proceres, ut, quo res urget, eamus.
426 Regnum eversuri Turcarum immane, Deoque
427 oblaturi animas pro libertate piorum.
428 Ergo ubi quarta diem miseris mortalibus alium
429 Eoo exurgens patefecerit aequore Titan,
430 et dederit sonitum sacris tuba clara peractis,
431 Signa manu (si sic placitum) sua quisque revellens
432 pergat iter coeptum et Selgae sata culta relinquat."
433 Haec pius Eustachides, procerum quibus inclytus ordo
434 assensit, certamque suis praefixit eundi
435 quisque diem, quam, cum primum lux quarta reduxit,
436 incessere omnes, vultuque animoque fatentes
437 ire iter invites, dulcesque relinquere terras,
438 quarum fecundis digressi a finibus, aspras
439 pervasere tuas tandem, o Pamphylia, valles ;
440 quosque latrociniis saltus infamat Isaurae
441 incola et ad praedas solers et furta Lalassis :
442 atque Lycaoniae felicia rura, vetusque
443 dives opum, dives cerealis mergite culmi
444 Iconium, sed tum vacuis ignobile visu
445 aedibus et nullo penitus custode relictum.
446 Quando quidem rerum fama perterritus hostis
447 cesserat aufugiens, seseque in montis Amani
448 condiderat latebras, totasque exhauserat urbes.
449 Ergo ubi inaccessas rupes, praeruptaque Tauri
450 saxa vident instare sibi et contermina caelo,
451 quae superent, acti per mille pericula rerum,
452 coeperunt primum taciti miserescere, sortis
453 quisque suae et tantos animis damnare labores.
454 Talia cum tenebris erebi digressus ab imis
455 cerneret atque locum nactus, tempusque nocendi,
456 militis in faciem sese convertit Alastor
457 ignoti et multa cum libertate loquentis.
458 Isque adeo turba in media : "Quo tendimus (inquit)
459 angustum per iter ? Jam nos hostilibus apta
460 insidiis nemora excipient, vallesque profundae,
461 quaeque adeo nos hic, ingens ubi copia frugum
462 esse solet, victus jamjam penuria vexat,
463 ingressos steriles saltus atque invia Tauri
464 tesqua, vel horrentes baccas, lapidosaque corna
465 coget et evulsis tristes radicibus herbas,
466 exstimulante fame, pronos depascere : quamquam
467 haec quoque inaccessae cautes, scopulique negabunt
468 sufficere immanes, caeloque, ereboque minantes."
469 Haec ille afflato fundebat pectore et atra
470 implebat cunctos formidine nam simul illas
471 excepere alii voces : nec fingere vultum,
472 nec lacrymas possunt oculis retinere fluentes,

473 et sensim extortus rumor per castra vagatur.
474 Ut cum Carpathium Zephyri spirantibus auris
475 leniter aequoreas paulatim exsuscitat undas
476 mox ubi nimborum dirupto carcere venti
477 ingeminant, caelo tumefacto attollitur aequor
478 altius et vastos volvens ad lictora fluctus
479 miscentur totum, fundoque exaestuatur imo.
480 Sic sermo in vulgum crebrescere suetus et horror
481 miscet agens animos, omnesque excita repente
482 seditio Gallos in mentem impellit eandem.
483 Pisidiae hic partim, Phrygiae revisere terras
484 partim autem ad Cilices, Tarsique ad moenia suadent
485 flectere iter, quo Carpathium dare vela per aequor
486 possint et terris Europae adnare propinqua.
487 Jamque erat, ut signis raptim tellure revulsis,
488 conversus fugeret Gallorum exercitus omnis,
489 irritaque aeriis mandaret vota procellis.
490 Sed pius Eustachides, unaque interritus ordo
491 heroum trepidis superadvenit. "Et, nova quae vos
492 coepit, ait, pavidos ignavia? Quis furor, aut quae
493 invasit tam dira animos dementia vestros?
494 Emensi qui tot montes, tot iniqua viarum
495 strata, sitim, duramque famem tolerastis et aestus,
496 frigoraque: atque altis munitas moenibus urbes
497 coepistis, Turcasque manu fudistis adorti:
498 nunc juga et abruptos saltus timeatis Amani,
499 quos toties ausi pedibus superare Quirites
500 ejecere suis Parthos e sedibus et se
501 victores victum statuere Euphratis ad amnem?
502 Non pudet ad patrios fines, terrasque reverti
503 indecores? En haec summo promissa fides est
504 Pontifici? Christoque Deo devota voluntas?
505 Ite, agite, et vestris narrate parentibus, hic vos
506 deseruisse duces et belli nobile coeptum;
507 in manibus postquam residens victoria vestris
508 vertice calcato Tauri transvexit ovantes
509 et Solymam clausis avulsa repagula portis
510 regnandam insolita Gallis virtute dederunt."
511 His dictis compressi animi, taciturnaque per agmen
512 murmur iit, qualem silvarum audire susurrum
513 suevimus, ut primum tepidi levis aura Favoni
514 in nemus incumbens frondes movet, aequora qualem
515 caerulea, cum motae crispantur leniter undae:
516 et spissae fluctus sensim illuditur arenae
517 dant sonitum: pluviis vel concitus imbribus amnis.
518 Haec eadem proceres alii per castra vagantes,
519 dum turbam increpitant, Italos rex Daunus amicis
520 affatur verbis, laudumque inflammat amore.
521 "O socii, quorum virtus testata parentem
522 saepe meum potuit claris decorare triumphis;
523 vos mecum sueti duces perferre labores,
524 Dalmaticas rupes atque Acroceraunia duris
525 calcastis pedibus, victricia signa sequentes.
526 Vos animis vestris, vos assuetudine freti
527 bellorum, semper vobis loca cuncta putastis
528 pervia et armati nil non penetrabile dextris.

529 Eia age, dum reliqui Tauri juga summa verentur
530 scandere et in Syriae sese dimittere campos,
531 festinate viam, primique invadere durum
532 montis iter, laetique altas conscendere rupes
533 audete, o socii, vosque hic ostendite dignos
534 inclyta quos Itali patres ad bella crearint.
535 Forsan et haec, nobis quae nunc praerupta videntur,
536 mollibus in pratis fessos accliva fovebant,
537 accipientque humiles valles atque aequora campi
538 culta, ubi se caelo vertex altissimus infert."
539 Vix atque unanimes motis succedere castris
540 adversam in rupem et montis juga celsa comantis.
541 Ausonas et laetos superare angusta viarum
542 ardua non aliter, quam si loca sueta quadrigis
543 usque teri, calcanda forent, quos agmine ab ipso,
544 ut primum impavidos Galli videre per altum
545 tendere iter, vertere aciem, cursuque perenni
546 pensantes facinus, montis coepere salebras
547 scandere certatim, nullosque ex inde labores
548 ferre recusantes, se summo in vertice tandem
549 inter oliviferos colles et mollibus ulmos
550 vitibus intextas, vallesque, agrosque feraces,
551 horrentesque umbras sistunt, laetique laborum
552 despiciunt celebres vicos, urbesque Syrorum :
553 optatasque diu terras uno ore salutant,
554 inde animo, vultuque alacres facto agmine, ad amnem
555 perveniunt ; aetas dixit quem prisca Typhonem,
556 occiso serpente illi vi fulminis ; unde
557 erupit fons excisa tellure perennis.
558 Posteritas sed enim benefacti haud immemor ejus,
559 constravit flumen primus qui ponte, superque
560 fecit iter tutum, dici de nomine Orontis
561 jussit et artificii grates hac voce rependit.
562 Stabat adhuc Pario pons marmore fultus et inde
563 hinc atque hinc geminas venientibus ostentabat
564 praesidiis vinctas Turcarum ingentibus arces.
565 Huc praemissi equites delecta e pube Britanni,
566 Lexobiique simul captas evertere tendunt :
567 Londini ante omnes proles generosa Cononis
568 Goscellus ; primo malas cui flore juvena
569 vix tum etiam signans addebat frontis honores
570 egregios, roburque ingens spirabat ab ore.
571 Ille igitur quamquam ruerent a vertice turris
572 tela, trabes, lapidesque graves, longeque volantum
573 densa sagittarum nubes involveret umbra
574 bellatorum aciem, rupto tamen objice portae
575 occupat ingressum pontis, primosque trucidat
576 et turrim aggrediens obstantia claustra refringit,
577 luminaque impacta perrumpit dura bipenni
578 et valuis piceos bipatientibus injicit ignes.
579 Ast illi flammaeque metu, caedisque propinquae,
580 praecipites sese e summis jecere fenestris
581 in flumen, rapidoque absorpti vortice, praesens
582 dum vitare putant letum, reperere sub undis.
583 At Belgae, clypeata phalanx, hortante magistro
584 jam medii, jamque extremi munimen adorti

585 pontis, in adversam Turcas immane frementes
586 propulerant ripam et flammata mente furebant.
587 Interea properans Gallorum exercitus amnem
588 transmittunt : ripisque ipsos ex omnibus hostes
589 dejiciunt, coguntque fugae dare terga, nec ante
590 consistunt, quam pugnantes ad moenia magnae
591 consedere urbis : quam cum Rex ipse Seleucus
592 conderet, in patrem signis insignis amoris
593 Antiochi jussit patris de nomine dici.
594 Sed luco appositam Daphnes, ubi festa frequentes
595 finitimi circum pagi celebrare solebant
596 annua, conventu in magno, dixere Epidaphnem.
597 Urbem opibus ditem, fecundamque ubere glebae.
598 Prole virum celebrem et munitam moenibus altis.
599 Quae circumjectu populos complexa quaternos.
600 Sustulit in caelum quondam caput et sibi magnum
601 imperium Syriis felix ascivit in oris.
602 Tum quoque barbarici sedes firmissima regni,
603 vinctaque praesidiis Turcarum ingentibus, ultro
604 objecit sese Gallorum interrita dextris,
605 namque illic virtute ingens, belloque gerendo
606 clarus et Arsacidum generoso a sanguine cretus
607 Hassanus Belferciades regnabat et urbem
608 parentem imperio magna dicione premebat.
609 Filius huic fuerat juvenili aetate superbus,
610 nomine avum referens, Turcas pulcherrimus inter
611 corpore et Hesperiiis atrox legionibus hostis.
612 Ante annos animo bellax, ac laudis avitae
613 aemulus atque virens Syriae flos pubis et idem
614 Hassani decus egregium et spes sola parentis,
615 tantique imperii certus successor et haeres :
616 si populi votis, placidas Deus applicet aures.
617 Ergo ubi victores flumen transisse Latinos,
618 Abdaridasque suos pontem, quo magnus Orontes
619 jungitur et medio ripas disterminat alveo,
620 deseruisse videt, positisque ex ordine castris
621 adtentari aditus, scalasque in moenia posci
622 et numero vinci Turcas putat atque piorum
623 posse infringi animos, pugnae in certamine si quis
624 tantorum procerum media succumbat arena
625 et patrium Abdaridis rediisse in pectora robur,
626 expressa tandem fateatur voce, nec usquam
627 esse ullum, quem Persarum non fervida virtus
628 proterat et victum campo sibi cedere cogat ;
629 arripit arma igitur, captusque cupidine laudis,
630 evocat Hipparchum ; quicum consueverat uno
631 esse dies, partemque etiam consumere noctis
632 et simul in densos nemorum contendere saltus ;
633 seu saevos venetur apros ; seu comminus ursos
634 invadat ; seu vera manu, seu ludicra tractet
635 arma domi et sese praesentis imagine belli
636 oblectans, animum pugnarum inflammet amore.
637 Tum quoque confisus veteris virtute sodalis.
638 "Ipse vides, Hipparche, quibus legionibus (inquit)
639 circumdet nostram Gallorum exercitus urbem ;
640 et late populetur agros, finesque Syrorum ;

641 dum nos e muris dites spectamus agique
642 et ferri hinc illinc praedas, proh dedecus ingens,
643 qui, quasi molle pecus, circumvallemur inertes,
644 atque ignominiam taciti, turpesque feramus,
645 quam ponte amisso pugnando accepimus haud me
646 progenitum rear Arsacidum de sanguine regum,
647 in pugnam ni quem ipse vocem. Stat damna laboris
648 hesterni et tantae virtute rependere cladis,
649 ne sibi cum Phrygibus bellandum, Arabumque fugaci
650 gente putent ; ubi nemo ausus se credere campo est.
651 Et Marte aequato solus concurrere soli.
652 Hinc ollis etenim felix audacia crevit :
653 at nostris depulsa sui fiducia longe
654 cessit et infringens mentes ac pectora terror,
655 turpiter exulibus Gallis dare terga coegit.
656 At me vel magnus submergat gurgite Orontes
657 ante suo et caecis Casius convulsus ab Euris
658 obruat, infernisque prius Deus asserat umbris,
659 quam metus a coeptis animum deterreat altis,
660 ullaque degeneris cuiquam dem signa timoris.
661 Ire animis illum contra mens ardet et unum
662 protinus in pugnam clauso deposcere campo ;
663 vidimus effracto quem fortiter objice pontis
664 adversam in ripam ferro depellere nostros."
665 Haec ille et flammam oculis effundere visus.
666 Tum vero Hipparchus, tantis perterritus ausis
667 substitit atque illum placidis avertere dictis
668 quaerit ab incepto : "Juvenum fortissime, quis te
669 abneget Arsacidum praeclaro a sanguine cretum ?
670 Cujus in ingenti virtus se pectore tanta
671 efferat, ut cunctos facinus memorabile in annos
672 aggrediare manu jam nunc, tantoque periculo
673 objicias caput ipse tuum, proque omnibus unus,
674 pro quo uno fas est omnes succumbere leto,
675 praecipites tete in vitae discrimen apertum :
676 quin potius dum per pagos atque arva vagantes
677 convectant praedas, belli nos furta paremus,
678 excipimusque locis, fessosque errore viarum
679 ense trucidamus, trahimusque in vincula captos ?"
680 His dictis acres audax Belfercus in iras
681 exardens. "Tu vero (inquit) furtisque, dolisque
682 utere et insidias castris molire latentes,
683 si tantum vivisse hostem tibi rere decorum.
684 Me deceat medio versantem in turbine leti
685 ostendisse palam, quantum virtute, manuque
686 Arsacidum praestet proles generosa Latinis."
687 Dixit et antetulit gressum : portisque reclusis
688 exiit ; illum autem juvenum comitatur euntem
689 lecta manus, laterique comes fidissimus haeret
690 Hipparchus : quamquam verbis male pressus amaris.
691 Interea praemittit agens in castra piorum,
692 in pugnam ex illis aliquem qui provocet aequam ;
693 Goscellum ante omnes : cujus memorabile nomen
694 sustulit ad caeli fulgentia sidera virtus ;
695 praesidium postquam Turcarum e ponte fugavit
696 et multo ingentem tepefecit sanguine Orontem.

697 Quae simul ac proceres animisque atque auribus omnes
698 acceperere suis, tectumque micantibus armis,
699 ora nisi et pulchram nudare cassida frontem,
700 stare hostem et, secum media qui pugnet arena,
701 exspectare vident et multo pulvere campum
702 miscere atque aliquem de se promittere tantum
703 mirantur, primae qui nondum evaserit annos
704 aetatis, vixque ora gerat modo tonsa juventae.
705 Consurgit pubes igitur generosa piorum,
706 exsortemque dari sibi quisque exposcit honorem.
707 Cecropidum princeps Tyrrheno a sanguine Medix :
708 et dux appositus duris Ursanius Umbris
709 et Biturix Arpinus et iisdem aequalis ab annis
710 Vulsinii, Ciminique lacus regnator Halesus :
711 his et Aestinus Venetae flos Attius orae,
712 Oromedonque ferox et contestata Vitelli
713 magnanimi virtus ; nec non, cui nobile paret
714 Urbinum, gelidique rapax fluit unda Metauri,
715 Ubaldus ; sese ultro addunt, pugnamque petentes,
716 quisque sibi, reliquis praeferri omnibus optant.
717 Poscit idem clari proles generosa Cononis
718 Guscellus : centumque alii, quorum invida nomen
719 occulit et densis involvit fama tenebris.
720 Guscelli sed enim Leuco justissima visa est
721 causa duci, quando illum unum selegerat hostis
722 prae reliquis, quicum media pugnaret arena.
723 Ergo laetus abit tanto e certamine victor,
724 delatumque sibi tacitus gratatur honorem
725 et se principibus tantum debere professus,
726 quantum vitam longum producat sibi in aevum,
727 proque illis subeat terraque, marique pericla
728 omnia, non umquam gratus persolvere possit.
729 Exsilit et corpus fulgentibus induit armis ;
730 tum conum insignis galeae, cristasque comantes
731 aptat nequicquam capiti ; tum caede madentem
732 hesternam lateri properans accommodat ensem.
733 Mox saltu conscendit equum, clypeumque sinistra,
734 at dextra ingentis robur grave sustinet hastae.
735 Interea dimensi agrum Turcaeque, piique
736 addiderant clauso compacta repagula campo
737 et quas auderet nemo perrumpere leges
738 pertulerant, nequis nutu, aut voce, manuque
739 victori, aut victo faveat : neve audeat alter
740 alterius dare vulnus equo, fraus omnis abesto :
741 propositum donec laudis certamen inicitur
742 et parit alterutri victoria laeta triumphum.
743 His ita compositis ductorum ex ordine primi
744 hinc atque hinc placito junxerunt foedere dextras :
745 inque vicem strinxere fidem, quam frangere nulli
746 non immane nefas, vetitumque ante omnia Persis.
747 At pater in pugnam Guscellum affatur euntem.
748 "Nate, tuae spes summa domus, si gentis avitae
749 immortalis honos umquam, si vivida virtus
750 ad decus egregium stimulis ardentibus egit,
751 optantem heroes factis anteire potentes,
752 nunc tu, quandoquidem tempus sese obtulit ultro,

753 quo te de nostro testeris sanguine natum,
754 diffundasque tuum ventura in saecula nomen,
755 fac referas victor tanto e certamine palmam.
756 Quod facies, si nate, animum ratione, manusque
757 arte reges : satis est cunctando vincere, numquam
758 sinceram peperit virtus temeraria laudem."
759 Haec ille : et monitis instructum talibus illuc
760 ire jubet, quo monstrat iter fors laeta, Deusque
761 nec mora : progreditur procerum comitantibus armis
762 atque alacer clausi se sistit in aequore campi.
763 Tum tuba ter signum pugnae dedit aere canoro.
764 Quod simul auditum est ; diversa e parte ruentes
765 prosiluerunt ambo, mediique in gramine prati
766 alter in alterius thoracem intentus aenum
767 infregit magnis directam viribus hastam
768 fraxineam, truncumque manu projecit in hostem.
769 At Belfercus equum freno retinere ruentem
770 non potuit, namque ille semel calcaribus actus,
771 correptoque ruens spatio, non constitit ante,
772 pectore quam toto commissa repagula valli
773 perculit et fractos inter clatrosque, trabesque
774 lapsus humi dorso sessorem excussit ab alto.
775 Qui simul ac terram tetigit : pedes obuius ultro
776 exsilit et dictis Goscellum appellat amaris.
777 "Non tua me virtus, sed equi temerarius ardor
778 stravit humi, quo te incolumen subducere leto
779 instanti turpis possit fuga." Dixit et una
780 iligno totum protexit stipite corpus ;
781 stipite, qui scrobe telluris defixus in alta
782 stabat et ingenti firmabat robore clatros.
783 Ergo illinc solidi tectus munimine trunci
784 nunc crebros adigit clypeo, nunc accipit ictus
785 et fors omne datum frustra per talia tempus
786 consumpsent, neuterque e pugna victor abisset,
787 impatiens ni forte morae Goscellus et irae
788 desiluisset equo et peditem pedes ipse petisset :
789 parque pari pugnam inceptam congressus obiret.
790 Et prior incurrens validis cum viribus ense
791 in clypeum librat subeuntis cominus hostis
792 et, quamquam solidi formatum ex aere metalli,
793 in geminas partes iterato dissipat ictu.
794 Ut quondam in summo lignator vertice Pindi
795 impacta findit quercumve, ornumve securi.
796 Ille autem, levis spoliatus tegmine parmae,
797 irrumpit insurgens contra : seque inter adorti
798 corpora robustis simul implicuere lacertis,
799 luctatique diu, tandem cecidere, solumque
800 prostratus tergo pressit Belfercus et una
801 Goscello victum dum se negat, atque revulsa
802 casside trajicitur duro cava tempora ferro,
803 ingentemque animam tenues exhalat in auras :
804 Hipparcus, quem turbanti certaminis unus
805 jamdudum stimularat amor, praecepsque cupido
806 impulerat, iusti leges contemnere et aequi,
807 letifero celerem cornum jaculatus ab arcu
808 victori penitus fauces, jugulumque Britanno

809 perforat et fulva revolutum extendit arena.
 810 Educat agricolae studium, rigat humor aquai
 811 liquidus, e summo decurrens margine clivi :
 812 circum autem instabiles impellunt flatibus aurae.
 813 Illa comas effusa suas pulcherrima floret,
 814 ostentatque novae decus immortale juventae.
 815 Quod si forte acri stridens Aquilone procella
 816 desuper incubuit, fossa cadit eruta, humique
 817 exstirpata jacet : juvenem sic Persa Britannum
 818 surgentem a caede morti dimittit iniquae.
 819 Subjicit et facto immani verba aspera. "Nunc tu
 820 victor cum victo Stygias te confer ad umbras" ;
 821 nequis praeterea caesum se jactet eadem
 822 esse manu, qua Turcarum spes concidit omnis,
 823 et fuso Arsacidum maculata est sanguine tellus.

LIBER UNDECIMUS

S_11 v.1 Hic procerum intentas subitus dolor, iraque mentes
 2 occupat et tanti memoranda injuria facti
 3 praecipites agit in Turcas, primique Britanni
 4 corripiunt vastos arcus : celeresque sagittas,
 5 recludunt enses : patefacto aggere campi
 6 procurrunt Itali et Gallorum interrta pubes.
 7 Nec minus Abdaridae diversa e parte ruentes
 8 objiciunt sese, vocesque ad sidera jactant.
 9 It caelo clamorque virum, clangorque tubarum,
 10 telorumque ingens totum tegit aera nimbus.
 11 Autumno veluti cum lapsae ex arbore frondes
 12 arentes, liquere hiemis sub frigora, ramos,
 13 et terrae texere solum ; si vertice ab alto
 14 incubuit Boreas in silvam et turbidus Auster
 15 adverso rursus veniens a cardine flavit.
 16 Nunc huc, nunc illuc sese per inane volutant :
 17 miscenturque una et temere agglomerantur in orbem.
 18 Primus ibi Hipparchus, caedis qui solus iniquae,
 19 et sceleris, fraudisque audax processerat auctor,
 20 dum circumfusos comites hortatur et urget
 21 turbidus in pugnam et stricto ferit obvius ense,
 22 sopitus cecidit magno sub pondere clavae.
 23 Hunc Lycus, fraterque Labrax, Drymonque, Coraxque
 24 exanimum cecidisse rati, quo corpus inane
 25 obscaenis lacerandum avibus, canibusque relinquant,
 26 et quocumque modo domini ulciscantur adempti
 27 interitum, pedibus traxere in castra revinctis.
 28 Nec procul inde avidum pugnam confundere Lydum
 29 Cambletem Biturix, acto in praecordia ferro,
 30 sternit humi, mensa suetum discumbere herili,
 31 Belfercumque una risu oblectare, jocisque

32 et tempestivis horas insumere caenis :
33 et tamen expertum belli, gnarumque laborum.
34 Inde inter primos versantem et dura cientem
35 proelia Tigritem splendenti percutit ense
36 et galeae in tergum caudam fundentis equinam
37 perfregit conum et frontem confixit : at olli
38 offudit caecas oculis nox atra tenebras.
39 Concidit et magno tellurem pondere pressit :
40 cui collo ex alto pendentem in pectora torquem,
41 e solido conflatum auro, rapturus Aturrus
42 incola Burdigalae, rapto qui vivere suetus
43 esset, et occultis vitam traducere furtis,
44 accurrit properans : ac dum se inclinat, ut aurum
45 auferat et praeda cupidus ditescat opima,
46 detexit lumbos et, qua conjungitur ossi
47 spina sacro, Sasalis mucronem in viscera condit,
48 per mediumque adigens umblicum, e vulnere tristem
49 extorsit vitam et tenues dispersit in auras.
50 Et Sasalim florentem annis et corporis auctu
51 ingentem et Thracum prognatum a sanguine regum
52 Daunius incurrens medium transverberat hasta,
53 setosus mammas thorax ubi dividit ambas :
54 ille cadit, pedibusque leves diverberat auras
55 non secus atque alnus fluvii, putrisque paludis
56 nata ad aquam et celsis avecta ad sidera ramis,
57 cum ruit, agricolae dura succisa securi
58 et jacet informis, donec currumve, ratemve
59 Circumiens, hominum notos formatur ad ursus.
60 Hic etiam auxilio subeuntem et dira frementem
61 Beliadem aggressus, stricto ferit arduus ense,
62 egregium forma juvenem ; quem mater Iebba,
63 descendens summis a verticibus Carmeli
64 huc, ubi vir flammis tenues mollibat arenas,
65 fusuras vitreos rivis undantibus amnes,
66 edidit in lucem limoso in margine Beli.
67 Qua propter puerum grati dixere parentes
68 Beliadem, patris memorem, matrisque futurum,
69 ni vitam Ausonius juvenilem abrumperet ensis :
70 quo caput in geminas partes bellator Iapyx
71 disjiciens. "Rapidi fas est, ait, horrida Orontis
72 ripa tegat, Belus quem jam piger amnis in auras
73 extulit aetherias, tanto ut morerere sub ictu."
74 Talia dicentem jacta petit obvius hasta,
75 Hassani qui se Cypria de pellice natum
76 crediderat Gemmes, lecto supposito herili
77 per fraudem et prolem regno exclusurus ab alto
78 legitimam, si forte dolos et vota secudent
79 astra et regnorum semper Deus unicus auctor.
80 Verum aliter superis visum : nam fraxinus acri
81 illius acta manu, praetervolat irrita regem
82 Ausonium et stridens pectus transfixit Amastri
83 armigeri ; Stephano Senoni quo gratior alter
84 non fuit et tacitae cui crederet intima mentis
85 arcana et curas animi fidentius omnes.
86 Quo moriente, Senon tristes exarsit in iras :
87 "Per mediosque ruens. Nec tu laetaberis (inquit)

88 hoc errore tuo : neque me mea dextera fallat."
89 Dixerat et Gemmem commissa caede superbum
90 saevus adit, dextrumque oculum configit acuta
91 cuspidem : quae penitus fixo stetit hausta cerebro :
92 reclusitque animi latebras, caecosque recessus.
93 Ille cadit, regnique omnem spem morte relinquit.
94 Commixtum interea magnis terroribus affert
95 clamorem, ac totam pervadit fama per urbem,
96 cunctorumque aures atra formidine replent
97 confusae voces atque illaetabile murmur ;
98 Belfercum egregiae juvenem virtutis et una
99 invictum bello Gemmem cecidisse peremptos
100 et ruere ad portas urbis facto agmine Gallos,
101 victoresque manu saevam committere caedem
102 et furere et scalas ad moenia ferre paratas.
103 At rex Hassanus, quamquam tot funera mentem
104 turbant et subito (saeva) dolor occupat ingens,
105 accurrit properans tamen et se in tuta ferentes
106 increpat. "O miseri tantus quis pectora vobis
107 insinuat pavor ? E projectis turpiter armis
108 quo fugitis ? Durone illis e marmore corpus ?
109 Aut ferri ex acie ? Vestrarum respuit ictus
110 hastarum ? Cur tela manus, cur tempora cassis
111 armat ? Et obductus vobis ad pectora thorax ?
112 Eia, agite, et mecum victorem invadite Gallum.
113 Aut hodie mortem natorum ulciscar acerbam ;
114 auferet aut idem vitam mihi fatifer ensis."
115 Dixit et e portis praeceps erumpit apertis :
116 atque una secum Orchanes : cui vivida bello
117 dextera et agrestes robusto in corpore vires,
118 setosum chalybis pectus tegit : aerea frontem
119 cassida : tum clypeus laevum latus : at manus hastam
120 dextra gerit solidam : clavae grave robur in armos
121 pendet equi et femori pugnae accingitur ensis.
122 Iique ubi se fudere foras, lectique secuti
123 tota ex urbe duces et bello assueta juvenus,
124 invasere pios Turcarum eversa fugantes
125 agmina et immiti strages et funera ferro
126 edentes, campi spatium quocumque patebat.
127 Hic Petalus Trevir, fugientem saevus in hostem
128 dum furit impune et facta jam caede superbit,
129 fraxinea Hassani medius transfigitur hasta.
130 Huic comitem Orchanes perfossum cuspidis ictu
131 ire jubet Pansam, Pansaeque adjecit Agronem :
132 Illyricos inter rerum cui summa potestas
133 cum foret et regni regeret moderator habenas
134 ipse unus, patria Gallis servire relicta
135 maluit et famam sumptis sibi quaerere ab armis.
136 Nec mora. Bellovacus cadit Antymus : et cadit Agnon :
137 Antymus Herculea contusus tempora clava,
138 Ambarides Agnon Porsaeide caesus ab harpe ;
139 jamque simul Gallique omnes, versique Britanni
140 terga dabant, victorque hostis per aperta ruebat,
141 caede tepefaciens, quaqua patet aequore capus :
142 cum pis Eustachides rapta volat obvius hasta :
143 inque aciem confertam equitum defertur et ipsi

144 perforat Harpagio ferrata cuspidē pectus :
145 Harpagio, quem frondiferis Pamphylia silvis
146 eductum, docuit sese immiscere rapinis,
147 exercet quascumque Cilix et raptor Isaurus.
148 Unde altas jam nactus opes, fidosque sodales
149 oppressit Tarsum per fraudem et Rhoson et Isson.
150 Bithyna sed enim postquam sunt urbe potiti
151 Christicolae et Medi pugna cecidere cruenta,
152 inque dies magis atque magis diffideret armis
153 ipse suis, populique iras odiumque timeret,
154 Hassano laturus opem, Cydnumque, Sarumque
155 liquit et augentem multo sua litora limo
156 Pyramon, ac portas caelo se aequantis Amani.
157 Hoc tamen auxilio regem tum iuvat amicum,
158 Eustachidae in sese quod telum avertit et illum
159 protinus occumbens stygiis submovit ab umbris.
160 At ferus Orchanes, immani vulnere pectus
161 confossum aspiciens, non jam perterritus haesit,
162 sed stricto Eustachidae galeam ferit arduus ense,
163 ulturus socium : nec fors deceptus abisset,
164 ni clypeum ingentem plagae supponeret heros,
165 corporeque exiret telum, vitaret et ictum.
166 Decidit in summum saevi tamen impetus ensis,
167 nudavitque genu, fuerat quo tegmine tutum.
168 Tum vero Eustachides ira inflammatus amara
169 altior insurgit, gladiumque obliquat acutum
170 in latus et medium, quamquam fulgentibus armis
171 contectum et triplici munitum corpus ab aere,
172 disjicit in geminas uno modo vulnere partes.
173 Umblico tenus una cadit : sedet altera dorso
174 fortis equi : latique trahens per gramina campi
175 viscera, praecipiti cursu defertur in urbem :
176 informe, horrendum et visu miserabile monstrum.
177 Hic vero Abdaridis humilis trepidantia rursus
178 sternit corda pavor, pugnamque relinquere cogit :
179 tergaque vertentes spatium producere vitae.
180 Ipse etiam Belferciades Hassanus in urbem
181 invitus rapitur : tum primo in limine turba
182 opprimitur fugiens, vitamque exhalat in auras,
183 dum portae se quisque volens inferre patenti
184 occupat ingressum et magnis clamoribus intro
185 primus abit, nisuque animam diffundit anhelō.
186 Accurrunt igitur trepidi, qui claudere portas
187 festinent, introque vetent irrumpere Gallos.
188 Ceu quondam agricolae, pluvia si forte recenti
189 aequarint summas torrentia flumina ripas ;
190 quae jam diluviem pratisque, agrisque minantur,
191 ingentes lapides, umbrosisque eruta silvis
192 robora et excisas annoso stipite quercus
193 advolvunt, totoque fugant e pectore somnum :
194 incustoditus nequa vagus effluat amnis,
195 et sese in segetes, camposque effundat apertos.
196 Cardine sic illi converso ad limina valvas
197 obnixa impellunt humeris, multosque suorum
198 excludunt, atraque omnes in morte relinquunt.
199 Quorum alii ferro immiti cecidere perempti :

200 in rapidum jecere alii se flumen et undis
201 demersi, Stygiae ripas petiere paludis.
202 Occultae paucos latebrae, notique recessus
203 montis et obscurae valles horrentibus umbris
204 servarunt, dum tecta fugam per lustra capessunt,
205 et sua subducunt instanti corpora leto.
206 Ast Itali, Gallique duces, acresque Britanno
207 ulti hostem, quamquam primas nox atra tenebras
208 excierat, terrasque suis obtexerat alis,
209 Goscellum maesti strato imposuere pheretro,
210 susceptumque humeris flentes in castra tulerunt.
211 Quem super illacrimans genitor procumbit et imo
212 corde ciet gemitus, tandemque his vocibus hiscit.
213 "Nate mihi e primo sublatus flore juventae
214 occidis et rerum versantem in turbine patrem
215 deseris ipse tuum : plus, heu plus scilicet uno hoc
216 vixi ego, nate die, vitae quam posceret hujus
217 usus et emeritae requies postrema senectae.
218 Debueram caput hoc morti, cum me tua virtus
219 felicem caelo aequarat ; cum facta triumphis
220 digna ferebantur passim : nec perfidus hostis
221 fas omne abrumpens, telo mactaret iniquo
222 victorem et regis surgente a caede superbi,
223 aeternumque decus palmae immortalis adeptum.
224 Nunc, sine te, quicumque dies, Goscelle, supersunt,
225 exigere atque graves belli tolerare labores
226 cogar et ingratae posthac accumbere mensae.
227 Hoc tamen in luctu laetor, quod sanguine fuso,
228 protinus evectum Solymae caelestis ad arces
229 et cupio et spero : nostras unde arduus oras
230 despicias et coetus inter versaris ovantes :
231 qui verum ob cultum pugnando vulnera passi
232 aethereas sedes terris petiere relictis."
233 Aurora interea toto fulgentia caelo
234 sidera depulerat, montesque afflarat anhelis
235 Phoebus equis, lati retegens super aequora campi
236 corpora caesorum atque ingentes stragis acervos :
237 cum pius Addemarus candentem indutus amictum
238 selegit procul urbe locum, ac de more piorum
239 sparsit rore sacro et pura circumtulit unda :
240 conceptisque Deum verbis in vota vocabit.
241 Hic, qui praeterita sublatis caede jacebant
242 effossae mandantur humi, princepsque sacerdos
243 illorum enumerans laudes, vocat ore beatos,
244 queis hoste in medio pulchram per vulnera mortem
245 oppetere et sese stellis inferre cruentos,
246 contigit ante ipsum divumque, hominumque parentem.
247 Has inter lacrimas, sacris jam rite peractis,
248 Goscello ingentem nigro de marmore mandat
249 Eustachides fieri tumulum : sed opima columnae
250 Belferci regis justo in certamine victi
251 adversae figit spolia et rem carmine signat.
252 Goscellus victor victo hoc de rege tropaeum.
253 Omnibus his adiicit meritae spectacula poenae.
254 Namque ipsum Hipparchum, primus qui foedere fracto
255 Goscelli occultam direxit in ora sagittam,

256 ante urbem adductum, jubet in diversa quadrigis
257 differri et toto raptari viscera campo.
258 Interea magnos Nerei sol lapsus in amnes
259 corrui : et densis obducens cuncta tenebris
260 stelliferi summum patefecit limen Olympi.
261 Tempore quo Divum coetus convenerat omnis,
262 ut patrem, regemque hominum festinus adiret
263 et ferret sua quisque leves mandata per auras,
264 in terris quaecumque imis peragenda darentur.
265 Astitit hos inter tenebrosa a sede nigrantum
266 Uragus, horrentis custos infandus Averni.
267 Quem procul aspiciens hominum, rerumque repertor.
268 "Unde, ait, ipse tuos gressus agis Uragus ? " At ille
269 respondit : " Terras adii, pelagique recessus,
270 omnia circumiens, praedas ut dives opimas
271 undique quaesitas in Tartara convectarem."
272 Tum pater omnipotens. "Nunc quem terrae (inquit) in orbe
273 Goffredo magis esse uno pietatis amantem
274 et nati praecepta mei, ritusque tuentem
275 vidisti ? Quos ille animo, quos ille labores
276 corpore sustineat, Solyam quo liberet urbem
277 servitio infando, templisque reponat honores
278 ipse meis, Turcasque alias depellat in oras ?
279 Subjicit his Erebo pestis digressa profundo
280 Uragus. Haud equidem miror, rex maxime, si quem
281 ipse tua fultum munis ope, cuique secundae
282 res et vota fluunt, unum modo pectore toto
283 te colit atque aras multo tibi thure vaporat,
284 ac caeli proceres precibus sine fine fatigans
285 perstat in officio et Solymae fidenter ad urbem
286 pergenti, non usquam animi mens fluxa vacillat.
287 Sed si forte tuas vires subtraxeris et me
288 siveris improvisum aliquod legionibus illis,
289 ipse quibus praeest, jam nunc infligere vulnus,
290 finibus extemplo Syriae, rebusque relictis
291 ad Morinos tibi diffisum remeare videbis."
292 Haec ille. At contra divum pater atque hominum rex.
293 "Vade age, cunctorum, qui nunc mea castra sequuntur,
294 experiare animos horrenti alguque, fameque,
295 adversisque una rerum successibus ipsos
296 bellatorum animos e tanto avertere coepto
297 nitere et in populos pestem diffunde, luemque ;
298 et pereat, retrove abeat, qui nomine nostro
299 praetexit fraudem et dominandi fertur amore ;
300 hi fines tibi praefixi statuuntur. At ultra
301 ire veto." Sic effatus terramque, polumque
302 aetheraque immensum vultu tremefecit et undam,
303 ille autem procul abscessit, Daphnemque petivit :
304 unde olim responsa suis edebat et omnium
305 implebat fallax dubiis ambagibus aures.
306 Huc se demissus consueta in sede locavit
307 observaturum tempusque atque apta nocendo
308 momenta et lapsis sparsurum incendia rebus.
309 At proceres, positis portarum ad limina castris,
310 inclusos Turcas densa obsidione premebant.
311 Quamquam illi aversae digressi e moenibus urbis

312 palantes Gallos, praedamque in castra ferentes
313 interdum insidiis obtruncavere locatis.
314 Has inter clades, durique incommoda belli
315 mutua, jam mensis processerat unus et alter
316 et circum horrificis Aquilonibus arva rigebant.
317 Non ullae arboribus frondes, non gramina campis
318 ulla superfuerant : glacies astrinxerat amnes :
319 brumaque durata passim nive texerat arva :
320 et circum vastatus ager, direptaque late
321 castella atque hornis exhaustae frugibus urbes,
322 afflictis alimenta dabant haud ulla Latinis.
323 Jamque fames totis incesserat improba castris :
324 nec lacerae vestes pluviam, nec frigora noctu
325 marcentes poterant pelles arcere ; nec usquam
326 tectum erat, a gelidis sese ut defenderet Euris
327 miles et optato recrearet membra sopore.
328 Quae simul atque hiemis vis ingruit aspera terris,
329 Uragus aligeros dirorum a sede nigrantum
330 evocat : "Illi adsunt praesto, morbosque, famemque
331 augentes, qua quisque potest in pectora sese
332 inserit atque animos agitans vulgique, ducumque
333 suadet ab inceptis quamprimum avertere mentem,
334 et desperatis penitus diffidere rebus.
335 Ergo alii, dum dira fames et pestis in omnes
336 grassatur, taciti coetus atque ipsa piorum
337 castra relinquentes Lydos petiere, Phrygesque,
338 vicinos alii portus : liberrimus unde
339 detur in Ionias undas et litora cursus."
340 Tum pius Eustachides, cui res adversa dolorem
341 ferret et ex oculis lacrimas exciret amaras,
342 concilium propere cogit procerumque, ducumque
343 sciturus, dubiis quid quisque in rebus agendum
344 censeat ; unde aliquam castris ferat ipse salutem.
345 Hic igitur Thracum ductor, quem Graius Alexis
346 miserit, ut tantis per fraudem obsisteret orsis,
347 consessu e medio surgens, haec ore profatur.
348 "Non equidem, o proceres, vestris me viribus unquam
349 indubitare sinet virtus clarissima, qua vos
350 tam longum superastis iter ; stravistis et hostes
351 innumeros, summisque sitas in montibus arces
352 exaequare solo freti potuistis et una
353 praecipites undis tranare tumentibus amnes.
354 Nec, siquid vestris adversum contigit ausis,
355 continuo jubeam tantis diffidere coeptis,
356 et quasi devictos hosti concedere palmam ;
357 sed quoniam hibernis cum tempestatibus et cum
358 imbribus, ac nivibus, glacieque rigentibus oris
359 pugnandum est, vulgoque ingens pestisque, famesque
360 absumit miseros, nec spes datur ulla salutis,
361 dum fessi ad ripam rapidi versamur Orontis,
362 inque dies hostis regionem, urbemque tuetur
363 auctior, ingentes animos, cui prospera rerum
364 eventa addiderint, quorum vi non modo tutam
365 esse putant urbem, sed aperto invadere marte
366 castra parant opibus Persarum ingentibus aucti :
367 cedentes ultro nos in vicina feramus

368 hiberna : et caeli tractum fugiamus iniquum :
369 dum terris desaevit hiems et frigora Cauri
370 spirantes, nostris prohibent assultibus hostem.
371 Namque, ita corporibus, somnoque, epulisque reffectis,
372 cum primum incipient tepidi spirare Favoni
373 flamina, et incultis herbescere gramina campis,
374 forsitan auspiciis longe melioribus urbem,
375 quae modo nos portis infesta excludit et arcet,
376 cum se rettulerint alacres in castra manipuli,
377 continget faciles captam expugnare per artes.
378 Interea, nequis duos vitare labores
379 me putet et pro re communi haud velle periculis,
380 quaecumque est, quae restat adhuc, exponere vitam,
381 seu vos hic studium coeptae obsidionis ad urbem
382 detineat, laetos seu vos hiberna receptent,
383 certum est Threicias jam nunc excurrere ad oras :
384 ut quascumque equitum turmas, peditumque cohortes
385 delegit nuper Graium regnator Alexis,
386 adducam quamprimum ad vos : quibus amnis Orontes
387 territus auxiliis, fastusque, animosque superbos
388 exuat atque jugo collum submittat aeno."
389 Haec dux Odrysius. Contra quem talia fatur
390 Eustachides. "His me castris incommoda numquam
391 dimoveant : vel se totam diffundat Orontes
392 in vallem et Casius terris subsidat apertis.
393 Tu vero, quascumque libet te confer in oras
394 providus et nostrae tangat te nulla salutis
395 cura. Etenim Deus usque suos tutatur et illos
396 non aestu, non frigus iners, non laedit egestas,
397 non acies confertae hominum, non alta retardant
398 moenia, nec summas aequantia flumina ripas,
399 quominus inceptis instent constanter, amentque
400 ignibus in mediis potius dispergere vitam
401 impavidam, quam degeneris dare signa timoris
402 ulla, vel a magnis desistere turpiter ausis."
403 Haec bonus Eustachides : sed Thracum ductor et una
404 dux Senonum : "Simulans morbo tentarier acri,
405 atque ipse abjectis clam Carpentarius armis,
406 unus, inexhausto plures qui robore suerat
407 contra stare hostes, victorque excedere pugna,
408 regia progenies magnorum et germen avorum,
409 obliti decorisque sui, laudisque suorum,
410 arripuere fugam, castrisque abiire relictis
411 et socios tanto linquere in cardine rerum.
412 Tum vero procerum tantorum exempla secuti
413 innumeri, queis militiae labor et meus acer
414 fregerat hostilis, solidosque inciderat omnes
415 virtutis verae nervos, liquere sodales,
416 quisque suos, facti immemores, votique, fideque.
417 Usque adeo capiunt animos obliviam nostros,
418 et penitus nulla est alienae cura salutis,
419 si quando impendit capiti commune periculum."
420 Ut, fumo cum pastor apes exegit amaro.
421 Dulcia lecturus mella ex alvearibus illae
422 destituunt trepidae cellas et, rege relicto,
423 in diversa abeunt, fusaeque per arva vagantur.

424 Hic igitur reliqui proceres precibusque, minisque,
425 quisque suos retinent, poenasque et praemia cuique
426 proponunt et, quae possunt, alimenta ministrant.
427 At Robertiades congesto e caespite primos
428 Ausonidum alloquitur, verbisque hortatur amicis.
429 "Ferte viri et duros animo tolerate labores,
430 et mecum adversis opponite pectora rebus.
431 Ille Deus, cujus causam suscepimus ille
432 praesto aderit laturus opem, si fortiter ausis
433 instare et duri perferre incommoda belli
434 viderit unanimes, quae nunc his maxima terris
435 perpetimur ; neque enim tantis insistere coeptis
436 invisos hominumque patri, divumque putandum est.
437 Nos ille incolumes per tot discrimina rerum
438 duxit adhuc, idemque manu superare potentes,
439 innumerosque hostes dedit ; et vel nomine tantum
440 insolitum Arabiis terrorem inferre, Syrisque,
441 praecipitesque sua Turcas depellere sede :
442 et nunc, quod glacie valles infesta nivali
443 detinet et rara est cerealis copia victus,
444 vinaque deficiunt, plenaequae obsonia mensae,
445 creditis a nobis mentemque, animumque benignum
446 avertisse Deum ? Tales plerumque per artes
447 pertentare fidem solet ille et nosse suorum.
448 Nec tamen extremis agitados casibus umquam
449 deserit ; at, quod vos experti saepius estis,
450 improvidus adest et opem pereuntibus affert.
451 An vos, o miseri tutam per tela, per ignes,
452 perque acies medias, inimicaque castra putatis
453 invenisse viam certa sine numinis aura ?
454 Et tandem incolumes penetrasse ad flumen Orontis ?
455 Non nostrae hoc vires ; non victae ignavia gentis
456 effecit ; legiove magis numerosa piorum.
457 Major agit virtus ; majorque potentia nostra haec
458 coepta juvat ; quam cui possint vel Bactra, vel Indi
459 impune armatas opponere in agmine dextras.
460 Huic ergo, o socii, si jam confidimus uni,
461 nil desperandum tanto duce et auspice tanto."
462 His dictis curas, tristesque e corde parumper
463 amovere metus : sed enim penuria victus
464 quottidie magis atque magis funesta premebat
465 non modo confusam passim ac sine nomine plebem,
466 verum etiam auctores belli, proceresque ducesque
467 communem impulerat jam desperare salutem,
468 qua fama rex Hassanus commotus amicos
469 quorum consilio niti consueverat, ad se
470 convocat et laetus fidas sic fatur ad aures.
471 "Quod fore providi jam tum, cum tantus in armis
472 obsedit nostram Gallorum exercitus urbem,
473 ecce malis perit ipse suis, morboque, fameque,
474 frigoribusque hiems vexatus et imbribus atris :
475 jamque adeo ad paucos equites, peditesque redactus,
476 si quicquam veri jactae praedicere sortes
477 consuerunt, parat ille fugam, seu totus in iisdem
478 haeret adhuc castris, veritus ne forsan euntes
479 illicit invadam et vertentes terga trucidem

480 quod, nisi quis sese opponat casusque, Deusque
481 ipse mihi et tantam invideant fata aspera laudem,
482 perficere est animus, cum primum Aurora resurgens
483 altera flammifero rubefecerit aethera vultu.
484 Namque ad perdendos ingenti clade latrones,
485 invasere manu qui regna aliena, suisque
486 audent extorrem Mecmethum expellere templis,
487 finitimae legere urbes atque oppida turmas.
488 Quae simul aggressae primae sub tempora lucis
489 irruerint, nos e portis facto agmine apertis
490 erumpamus ; et unanimes in castra feramur
491 undique fusuri signis victricibus hostes.
492 Nunc autem, quoniam taciti speculemur oportet,
493 securine sui maneant, an castra relinquunt
494 confisi tenebris, noctisque silentibus umbris,
495 ecquis erit vestrum, qui se committere nocti
496 audeat obscurae, penetretque in castra latronum
497 praemia laturus generosi ingentia facti ?
498 Illi ego Sidonio tinctas bis murice vestes
499 largiar et solido loricam ex aere rigentem.
500 His donis accedet equus candore nivali,
501 quem mater generosa Cilix, ubi Cydnus Amanum
502 dissecat, aethereas in luminis edidit oras,
503 per rupes assuetum altas intendere cursum,
504 armorumque adeo strepitus horrescere nullos."
505 Haec ille. Et dictis cuncti assensere silentes,
506 nec quisquam tamen est cujus, milesve repertus
507 auderet dubiis qui se committere rebus
508 praeter Amasiadem Phormum, cui sector Iberus
509 dives agris, dives positus in fenore nummis
510 Malcus erat genitor ; veteri qui lege relicta
511 Mosis, ad Abdaridae turpi se transfuga ritus
512 contulerat, Turcasque inter compleverat aedes
513 argento atque animum fastu cumularat inani.
514 Ille igitur surgens. "Nihil est (ait) inclyte ductor,
515 quod tu tam large mercedem et praemia cuiquam
516 egregium ob facinus te polliceare daturum.
517 Ipse etenim, nec dona moror, speculator abibo
518 quo tu cumque jubes : vel si mihi et ipsa potentum
519 sint adeunda ducum tentoria : nec metus ullus
520 nec duri retrahat facies inimica laboris,
521 ne castra explorem : tum, si res postulet, ipsis
522 occurram auxiliis, dux ut, monitorque viarum
523 usque adstem et certo cunctos hic tramite sistam.
524 Tu vero tantum ob meritum, rex magne, daturum
525 polliceare mihi, modo quem Goffredus acutum
526 per medium Orchanem, mirantibus omnibus, ense
527 exegit, totumque metu tremefecit Orontem."
528 Talia magniloquo tumidus fundebat ab ore
529 Phormus et insueto lateri poscebat honorem
530 ipse suo : quem nemo ausus speraverat ante.
531 Tum sic Hassanus : " Caelumque et sidera et ipsum
532 testor Halyn, fore nullum alium, cui deferat ense
533 Goffredi manus haec et tam memorabile factum
534 deletura animo nulla umquam oblivia nostro."
535 Haec ait. Et spoliis, armisque recentibus ornat

536 Ausonium in morem ; parmam fert laeva nigrantem ;
537 aere caput tegitur ; rigido latus ense tuetur ;
538 dextra gerit jaculum, tergumque et bracchia fulvae
539 pelli obicit detracta lupae. Sic comptus ab urbe
540 egreditur, qua pons longe porrectus ab amne
541 saxeus, ad Caniae decurrit limina portae
542 atque interjectae crebris vada pigra paludis
543 arcubus amplectens Turcisque, Arabisque patebat
544 liber et haud usquam premerent quem castra piorum.
545 Tempus erat, primae quo pars decedere noctis
546 incipit et vigiles abeunt statione relicta.
547 Succeduntque alii, cum se Boemundus et una
548 Aulercae pubis ductor Robertus agebant,
549 exploraturi, num quae custodia pontem
550 servaret, possetne capi vel fraude, vel armis.
551 Dumque oculis circumspiciunt et cuncta pererrant
552 et strepitus intenti omnes et murmura captant
553 auribus, ecce vident extremo ab limine pontis
554 discedentem ad se recta contendere gressum.
555 Tum vero socii fidas Boemundus ad aures
556 affatus. "Venit hic, inquit, speculator ab hoste
557 Hassano, aut spoliis nostrorum ut onustus in urbem
558 mox referat sese : sed nos e tramite ad amnem
559 deflectamus et occulti observemus euntem :
560 donec nos abiens paulum post terga relinquat,
561 atque intercepto nusquam fuga libera detur."
562 Sic ait et dicto citius secessit uterque
563 ad flumen, caelo atque umbris contectus opacis,
564 et sese in caecis taciti occulere latebris.
565 Ille autem obscurae per amica silentia lunae
566 incedit fidens animi, ignarusque futuri.
567 Cumque viae spatium propere progressus abesset,
568 quantum aliquis jactu volucris comprehenderet hastae,
569 exsiluere ambo et curvos liquere recessus ;
570 non secus ac par acre canum, cum forte cubili
571 excitum strepitu leporem, cervumve sequuntur
572 inque nemus, vallemque urgent ; fugit ille, sibique
573 providus Eos cursu praetervolat Euros.
574 Sic Phormum dux Aulercus, sic Appulus heros,
575 instantes tergo et vestigia pressa sequentes
576 cogebant rapidum longe contendere cursum
577 a ponte et summos a laeva inscendere colles.
578 Conjecto sed enim Daunius per inane veruto,
579 illicit hinc atque hinc perstrinxit vulnere suras,
580 tardavitque fugam, verbisque affatus acerbis.
581 "Vel jam siste gradum, vel, tu hic moriaris, oportet,
582 hasta, ait, hac nostra medium per pectus adacta."
583 Constitit ille tremens, fuditque has ore loquelas.
584 "O, quicumque estis, vitam hanc servate, satisque
585 sit notas clausisse vias ingentibus ausis :
586 et me constrictum vinclis in castra piorum
587 ducite. Non erit haec vobis clementia fraudi.
588 Namque pater Turcas inter ditissimus omnes,
589 cui juga bis centum proscindunt rura, domique
590 argentique aerisque gravis grave pondus et auri
591 defossum tellure jacet, nec regia vestis

592 deest et odorata flagrant laquearia cedro,
593 protinus ingenti redimet mercede, libensque
594 thesauros, queis me servet, recludet avitus."
595 Subjicit his Italum ductor. "Quis tanta recuset
596 praemia et oblatam demens contemnat opum vim ?
597 Interea flumen dic quae te causa coegit
598 trajicere, et serae solum te credere nocti.
599 An forte, ut spoliis nostrorum indutus opimis
600 dives ad Hassanum redeas ? An castra piorum
601 ingressus speculere fugam, bellumve paremus ?"
602 Tunc ille, ex imo ducens suspiria corde :
603 "Ipse equidem vobis (inquit) sine fraude recludam
604 omnia, nec patriae faciet spes ulla juvandae,
605 quominus effundam veras e pectore voces.
606 Egit ad audendum tanta haec rex Persa, petenti
607 qui mihi Goffredi dono promiserat ensem,
608 cum primum vos excisos ultricibus armis
609 stravistis, toto permiscens funera campo."
610 Subrisere duces. Mox illum Daunius heros
611 affatur. "Magnum est munus, quod, amice, cupisti,
612 sed gravius quam ferre queas. Verum quibus ille
613 auxiliis fretus de se promitteretantum
614 audet ? An excisas vires ita credit, opesque
615 Gallorum, ut quicquid superest, evertere ab imo
616 ipse velit, tantumque unum se posse reatur ?"
617 Phormus ad haec : "Non ille quidem spe motus inani
618 haec fore confidit, nam cum nox postera toto
619 incipiet secum tenebras abducere caelo,
620 ingentes equitum turmae, peditumque manipuli
621 finitimas nuper pubes collecta per urbes,
622 improvisi aderunt a tergo in castra ruentes,
623 cum late serpens fessos sopor irrigat artus.
624 Sic mandat, fierique jubet dux ipse Bagoas,
625 Hassani comes, et consanguinitate propinquus ;
626 ille quidem florens annis, animisque superbus,
627 cujus in effrena reliqui virtute quiescant.
628 Et sperent se posse omnes delere Latinos.
629 Sed mihi jam manibus duros innectite nodos,
630 et quocumque libet vobiscum abducite vinctum :
631 ut, nisi veridicas expressi e pectore voces,
632 cogatis meritas leto persolvere poenas."
633 "Immo, ait Aulercus ductor, poenamque reposcens
634 delictum ob tantum, laqueo collum implicet et te
635 ante oculos populi ligno suspendat ab alto,
636 nunc morere et praesens tanti cape praemia facti."
637 Haec ait, atque preces alias iterare paranti
638 abscidit ense caput : spoliisque atque omnibus armis
639 exutum canibus lacerandum, avibusque reliquit.
640 His actis ambo rediere in castra sub ortum
641 aurorae ; inque unum Gallis, Italisque coactis
642 principibus, memorant illa quid nocte sit actum :
643 quaeque adeo audierint instare pericula ab hoste
644 externo ; et procerum, quae sit sententia, poscunt.
645 Omnibus idem animus tacitis educere castris
646 armatas equitum turmas, peditumque cohortes,
647 cum primum terras nox atra involverit umbra,

648 atque improvise venientem invadere turbam.
649 Excivere igitur castris ex omnibus illos,
650 quos neque dira fames, neque saeva absumere pestis
651 quiverat, aut clades bellorum abolere receptae.
652 Jamque Atlantiaco Sol merserat aequore frontem,
653 cum lectae coiere acies, tenebrasque per altas
654 arripuere viam, qua ripam extendit Orontes
655 in longum et mediam disternat agmine vallem.
656 Et quoniam septem de tot jam millibus alae,
657 atque equites alam centeni quamque secuti,
658 vix reliqui fuerant, bellum qui sponte cierent,
659 insedere locum, cujus latus alluit amnis
660 a dextra, laevaue suis intercipit undis
661 in vallem porrecta palus, mediamque relinquit
662 planitiem angustam, brevibusque excursibus aptam.
663 Nec mora. Turcarum properans equitatus easdem
664 ingreditur fauces, cum vis ex aequore surgens
665 Auroram caeli portis exciret apertis
666 maturat quae stella diem praenuntia Solis
667 et passim gelida conspergeret arva pruina.
668 Ac jussi celerare gradum sine lege ruebant
669 ad caedem et praedam, quo spes male sana vocabat.
670 Ergo ut in insidias medii venere paratas
671 in tutum unde illis nusquam fuga certa dabatur,
672 compressere una gressum, subitoque pharetris
673 eductas gravidis nervo imposuere sagittas,
674 inque hostes densae fuderunt grandinis instar,
675 cum praeceps in tecta ruit ; sed nulli (.....)
676 inflixere pro clypeis aque aere repulsae.
677 At non Ausonii, non robora lecta Britannii,
678 obvia non Galli Turcarum in pectora frustra
679 direxere suas innixi viribus hastas.
680 Sed veluti totidem conjecta e nubibus atris
681 fulmina, dejiciunt fracto nunc stipite quercus,
682 nunc scopulos, altasque ruunt a culmine turres,
683 sic illi, hostiles docti perrumpere turmas,
684 deturbant ab equis alios, aliosque trucidant
685 exacto penitus duro per viscera ferro.
686 Densentur turmae, mediiue urgentur et iidem
687 protrudunt primos, primique in terga ruentes
688 involvuntur equis venientum atque agmine pressi
689 expirant animas obscura morte diremptas.
690 Ergo, ubi se angusto conclusum calle Bagoas
691 vidit et haud quidquam numerum prodesse suorum,
692 ad laevam deflexit iter, flumenque petivit ;
693 unde ruens alam Gallorum invasit apertam,
694 amissosque redire animos in pectora victis
695 cogit et inceptae rursus confidere pugnae.
696 Hic cadit accepto letali vulnere Talus
697 Bellovacus ; cadit et clara virtute Neanthes
698 Lexobius, Leucoque duci gratissimus Agnon.
699 Ipse quoque obliqua cervicem caesus ab harpe
700 labitur Ambarros inter notissimus Amphis :
701 ancipitis dubiiue Amphis sermonis amator,
702 sed non incertae sumptis virtutis in armis.
703 Et jam jamque acies Belgae ducis, obruta densis

704 hinc atque hinc equitum turmis se vertere retro
705 coeperat atque hosti fugiens dare terga sequaci :
706 Oromedon cum ductor agens in proelia gentem
707 Cenomanum, fuis superadvenit et ferus hostes
708 adverso proturbat equo ; dat Carsona leto,
709 exsultantem animis, qui sese e matre ferebat
710 Hyrcana et claro Cambysae a sanguine cretum.
711 Transadigit Laro fauces, mediumque Cynulco
712 dividit ense caput, tum Sinam in bella vocantem
713 agmina et angusto miscentem funera campo,
714 sternit humi, miseramque simul sine nomine plebem
715 ense metit, cadit illa ruens, ceu falce recurva
716 gramina secta cadunt, cum prata virentia tondent
717 agricolae et plenis stipant fenilibus herbas,
718 in seram quae laeta boum sint pabula brumam.
719 Nec multo post in pugnam se contulit acer
720 Tancredus (Cilicum populis namque ille subactis,
721 rettulerant sese properans in castra piorum)
722 nec non et belli fulmen fortissimus heros
723 Daunius et dextrae notus virtute Vitellus,
724 consiliisque potens, armisque acerrimus Umber
725 Ubaldu, cujus proles generosa Metauro
726 imperat et populis ad se dat jura vocatis.
727 Additus his Medix, unaque Ursanius ibat,
728 inque hostem intenti vultuque, hastisque ruebant.
729 Non secus atque repens Aquilonum a vertice turbo
730 cum forte incubuit terris, coeuntia differt
731 nubila et instantes toto fugat aere nimbos,
732 infandam ruri stragem, silvisque minantes ;
733 heroum sic Ausonidum manus agmine facto
734 comminus aggreditur Turcas, passimque supinos
735 fundit et immiti transfigit pectora ferro.
736 Argymnum Medix puerum puer impiger hasta
737 trajicit, ad mensam suetum dare grata Bagoae
738 pocula et in bellum galeam praeferre comantem.
739 At bonus auxilio venientem Ursanius Agrim
740 interimit, gladio medium per pectus adacto.
741 Andrantum Ubaldu, dirumque Agamanta Vitellus,
742 Attius Afrorum ductorem gentis Oniscum,
743 seque parem primis nota virtute ferentem
744 et Charris regnantem acer Tancredus Abollam.
745 Ipse tamen retinetque suos, subigitque Bagoas
746 stare loco et telis invictam obvertere frontem.
747 Omnia sed frustra tentanti et nota cienti
748 nomina, fulmineo medium dux Appulus ense
749 in thoraca ruens immani vulnere pectus
750 discidit et vitae latebras patefecit opertas.
751 Ille ruit, sonitumque gravem super arma dederunt.
752 Tum vero conversa acies inimica refugit
753 atque alios lacus ipse, alios absumpsit Orontes,
754 exitium miseri dum forte evadere praesens
755 nituntur, dubiisque putant se posse salutem
756 pugnando amissa, nando reperire sub undis.
757 Sed plures procerum tantorum interrita virtus
758 sustulit et ferro turmas prostravit acuto.
759 Postquam igitur deleti hostes cecidere, locumque

760 deseruere fuga et populis victoria cessit
761 laeta piis, praedam ingentem pecudumque, boumque
762 et molitam Cererem et flaventes farris acervos,
763 omnia quae secum obsessis inferre Bagoas
764 decreerat, densumque agmen post terga trahebat,
765 Ausonii prae se, Gallique egere, nec ante
766 occuluit caput Hesperiiis Sol mersus in undis,
767 quam circum induti spoliis hostilibus omnes,
768 agmine laetanti rediere in castra, ducumque
769 Turcarum ante urbem capita imposuere verutis.
770 Hoc visu concussi animi, magnusque per urbem
771 it metus et dubiis incessit mentibus horror
772 pars satius Gallis portas aperire patentes :
773 esse ait, invictae ultro se dedere genti :
774 dum spes ancipites animos et pectora versant
775 atque inter populum dubius Mars errat utrumque.
776 Pars tutandam urbem, dextrisque, animisque paratis,
777 censet et adversis rebus virtute medendum.
778 Armigeras superasse manus et robora pubis
779 Persarumque, Arabumque brevi post tempore regem
780 missurum auxilio ter centum lecta virorum
781 millia, quae tota Gallos excedere cogant
782 ex Asia aut tenebris et duro carcere vinctos
783 usque doment, caesoque omnes sine honore sepulchri
784 Abdaridum genti spectacula grata relinquunt.
785 Haec dum illi inter se vario sermone volutant,
786 portarumque aditus, turresque in moenibus altas
787 alterna vigiles noctu statione tuentur,
788 interdumque foras per pontem egressa juvenus,
789 qua via tuta patet, longe semota latebris
790 insedit, Gallosque jugis invasit iniquis
791 palantes, praedamque ab agris in castra ferentes,
792 unde ultra acceptas clades remeavit ad urbem,
793 grassantemque famem vulgo solata levavit
794 saepius et Gallos obsessa obsedit et aequae
795 hos penes atque illos magno quaesita labore
796 corporis excivere acres alimenta tumultus.
797 Quocirca ut tanta Gallos formidine solvat
798 et vetet egressos Turcas e moenibus urbis
799 moliri insidias, ad se vocat Appulus heros
800 Ausonios, verbisque omnes hortatur et urget.
801 "Ite, ait, o socii, dextrisque invadite pontem,
802 perniciem in nostram vinxit quem Persa rebellis
803 praesidio, coeptisque pii pia vota moratur,
804 ite viri et tanta vobis asciscite laudem.
805 Laudem etenim pariet clari victoria facti
806 immensam et nullo morituram tempore : namque
807 ut nunc, quam volumus, cedant secus omnis : certe
808 egregium fuerit magnis cecidisse sub ausis."
809 Haec Robertiades Boemundus et Itala pubes
810 una omnis ruit ad pontem, ducente Vitello :
811 quaerit et instantem crebris assultibus hostem
812 deturbare loco : verum ille interritus omnem
813 propellit turbam et pontem statione tuetur :
814 nec patitur portae se quemquam inferre patenti.
815 Et jam jamque octo longa obsidione peractis

816 mensibus, ex animo cunctis spes omnis abibat
817 expugnandae urbis, cum dux acerrimus armis
818 Goffredus proceres ad sese in tecta vocatos
819 affatur dubios, coeptis seu fortibus instent,
820 seu res infectas, desertaque castra relinquunt.
821 "O fratrum generosa cohors, o pectora sanctae
822 debita militiae, non huc Deus impulit, ut nos
823 perderet, aut salvos patriae revocaret ad oras
824 turpiter, aeternum parituros dedecus omni
825 Europae et nobis mutandam morte salutem.
826 An vos cum primum voto obstrinxistis ad urbem
827 venturos Solymam, mediosque iter omne per hostes
828 facturos, penitus nostro sine sanguine et illam
829 esse redempturos nullo sudore putastis ?
830 Non ego vos tantos, tantisque a patribus ortos
831 sive metu, sive ingenti molimine rerum
832 abjecisse animos rear et nunc denique mentem
833 mutasse infractam, quo nos e moenibus altis
834 despiciens dictis irrideat hostis amaris,
835 dum fugimus timidi, captamque relinquimus urbem.
836 Quin potius, siqua est animis constantia nostris
837 obsistamus et hic mortem, laudemve manentes
838 quaeramus ; Deus est, uno quo praeside freti
839 amissa quondam pro libertate piorum
840 inferre Abdaridum genti decrevimus arma,
841 inque Asiae templis cultus abolere nefandos."
842 Dixerat Eustachides. Illi autem affixa tenebant
843 ora solo et tristes mutabant pectore curas
844 nunc huc, nunc illuc ; procerum cum laetus ad aures
845 nuntius affertur pontem expugnare Latinos
846 aggressos, urgere hostem et depellere in urbem.
847 Ergo acres Tancredus agens in bella Sicanos
848 subsidio currit, pugnamque instaurat et alto
849 hortatur clamore suos. "Hoc vincite tantum
850 o socii, hic vestras certatim intendite vires.
851 Hic est ille dies, cum gloria maxima sese
852 ostendat nobis, seu mors, seu vita supersit.
853 Ponte etenim capto nullus patet exitus hosti,
854 unde famem tolerare queat, vobisque per agros
855 occursare, gravem dum praedam in castra refertis."
856 Sic fatus Brisem aggreditur, Drapsimque, Paphumque
857 huic caput, illi humeros rigido discriminat ense,
858 perforat immisso Brisem per guttura ferro.
859 Hic sese medios saltu coniecit in hostes
860 Bocca audax animo, Pisisque oriundus Etruscis,
861 disjecitque globos Turcarum in bella ruentem,
862 Bocca, suis quem jam praefecerat ipsa maniplis
863 Plintia et in Syriam Tancredo admorat eunti.
864 Ergo illic acies inimico occumbere leto
865 et fugere eversae, captumque relinquere pontem ;
866 quem dum praesidio pubes Oenotria vincit,
867 illae altos intra muros et tecta receptae,
868 occlusere piis aditus et limina portae.

LIBER DUODECIMUS

S_12 v.1 Interea nigro terras velavit amictu
 2 stellarumque choros nox caelo invecta reduxit
 3 et circum crebris cinxerunt moenia Galli
 4 excubiis, alii recreant dum corpora somno,
 5 successu rerum laeti : spem pectore namque
 6 concipiunt urbis potienda et gentis iniquae
 7 delendae penitus quamprimum armisque, fameque.
 8 At non Hassanum dulcis levis unda soporis
 9 pellicit ; immitesque sinunt requiescere curae,
 10 cuncta adversa suo tristi cum corde putantem.
 11 Et nunc occlusa secum spatiat in aula
 12 solus et ex imo ducit suspiria corde :
 13 moenia nunc densa juvenum stipante caterva
 14 invisit ; turres et propugnacula firmat :
 15 et non consuetas vigiles permutat in horas :
 16 incertus fidei cunctorum et conscius irae,
 17 crudelisque odii : cui se, suaque omnia norat
 18 civibus esse piis : quorum genus omne nefandis
 19 affligens scelerum formis immane premebat.
 20 Ergo ubi jam caelum, sole illustrante serenum,
 21 restituit rebus proprios Aurora colores,
 22 seque hinc atque illinc cinctum videt esse frequenti
 23 Gallorumque, Italumque manu ; velut horrida Tigris,
 24 Hyrcanus quam pastor agens in retia captam
 25 inclusit cavea, furit acrior usque, fremitque,
 26 conceptasque animo magis ac magis asperat iras ;
 27 inque dies angens sese, vehementius atram
 28 auget in immensum rabiem, studiumque nocendi.
 29 Sic ille ad caedem stimulis agitatus iniquis,
 30 Turcarum primos in regia tecta vocatos
 31 alloquitur. "Venit, quod non speravimus umquam,
 32 tempus, ait, Persis cum toto e ponte fugatis
 33 obsessi circum claudamur moenibus urbis :
 34 exitus et nusquam liber vacet : unde petatur
 35 victus ; ut exhaustas recreent in corpore vires,
 36 qui mea sunt mecum defendere regna parati.
 37 Nam plebis non ulla movet me cura tuendae.
 38 Stet modo militiae constans mihi robur et ordo,
 39 quo longe infensos valeam depellere Gallos ;
 40 si scalis forte appositis ad moenia tentent
 41 irruere et summas murorum evertere turres.
 42 Ergo ego, ne victos tandem nos dedere cogar,
 43 impositoque jugo miserum submittere collum,
 44 ejicere institui nostris e moenibus actos
 45 Christicolas omnes, vel duro absumere ferro :
 46 quos ego suspectos nullo non tempore habendos
 47 esse reor generi Turcarum et fortibus armis :
 48 sed tum praecipue, cum rerum summa vacillat ;

49 exitiumque ingens anceps fortuna minatur.
50 Non regnet, quem vana animi clementis imago
51 frangit et utilibus miserantem avertit ab ausis.
52 Rebus in extremis temptandum extrema ; nec ullus
53 effuso servavit adhuc sine sanguine regnum."
54 Haec ubi dicta dedit solio sublimis ab alto,
55 obstupuere animis patres, variumque per omnes
56 murmur iit ; partim nusquam consulta probantes :
57 partim etiam, qui mature properanda putarent
58 omnia et e medio penitus genus omne piorum
59 tollendum et solis linquenda ea moenia Turcis.
60 Haec dum illi inter se dubio sermone volutant
61 et simul instantis terrentur imagine caedis,
62 quid damnent, quidve inde probent decernere mussant.
63 Quos inter claro proavorum a sanguine natus
64 consessu in primo primus Benserra sedebat,
65 consilii bonus atque armis ad bella parandis
66 praefectus, regique ipsi gratissimus et qui
67 a puero cultum Abdaridae non sponte secutus
68 Christum ipsum solum esse Deum, solumque putabat
69 dignum, quem precibus supplex in vota vocaret ;
70 Turcarumque metu clam sacra illius et aras
71 interdum coleret, templumque occultus obiret.
72 Ergo idem a miseris infandam avertere cladem
73 cum cuperet, solitos primum praefatus honores :
74 "Consilium, rex magne tuum, quis inutile dicat,
75 exilium regno rebus minitantibus ? (inquit)
76 sed quoniam nondum desunt alimenta, quibus se
77 plebs alat et nobis Persae exspectantur in horas
78 venturi auxilio, cunctique ad jussa parati
79 Christicolae accurrunt ; operasque impendere pergunt,
80 quisque suam, Turcisque levant, Arabisque laborem,
81 dum muros illi insomnes, urbemque tuentur
82 et procul audaces Gallos a moenibus arcent ;
83 ipse ego in alterius tenebrosa silentia noctis
84 hanc caedem differre velim ; cum nulla supersit
85 spes alia, instanti quae nos defendat ab hoste.
86 Immo, ait, Hassanus, cum primum e turre sacerdos
87 venturae noctis mediam praedixerit horam,
88 in vicos, omnesque domos immittere certum est,
89 qui somno oppressos jugulent ; qui funditus omnem
90 festinent ferro sceleratam excindere gentem :
91 non sexus, non ullum usquam discriminet aetas ;
92 sive senes, seu sint sugentes ubera nati.
93 Sic volo, sic jubeo, sic stat sententia ; nec se
94 quisquam alio nostram speret traducere mentem.
95 Vos ite et tacitis quamprimum accingite coeptis
96 immites dextras et vos explete nocentum
97 sanguine, qui nostrae laeti gentisque, domusque
98 excidium exspectant, quorum modo jussa facessunt."
99 Haec graviter frendens imo de pectore fudit.
100 Atque illi facinus quamprimum ad triste parandum
101 discessere omnes animis immanibus acti.
102 Non secus atque lupi, quos lux inimica, diesque
103 in silvis retinet clausos, specubusque repostis,
104 exspectant avidi noctem, densasque tenebras,

105 incustoditos una ut cum matribus agnos
106 invadant, caulasque ipsas et ovilia vastent
107 et multo exsaturent undantes fauces (.....)
108 At non oblitus generis Benserra paterni
109 ipse sui, cultusque pii discrimine tanto,
110 impia per certos regis consulta ministros
111 Christicolum primis reteggit, monstratque salutem
112 sperandam unam animis extrema audentibus ergo
113 advigilent, mediaeque adsint sub tempora noctis
114 insomnes, imo ut portas a cardine vellant,
115 inque urbem Gallosque vocent, Italosque patentem :
116 se quoque opem tantis conatibus allaturum.
117 His ita compositis, sublimi in turre morantem
118 solus adit natum, quem paucis ante diebus
119 exceptum pugna dimiserat Appulus heros
120 et juvenem donis abeuntem ornaverat amplis :
121 "Nate, ait, o veterum species expressa parentum,
122 vade age et Ausoniae ductorem gentis adito :
123 dic tempus capiendae urbis venisse supremum :
124 ipse modo ad portae tacitus se limina sistat,
125 cum terras densis nox intempesta tenebris
126 texerit et dulces affuderit humida somnos :
127 tempore quo pia gens formidine caedis iniquae
128 conveniet, portaeque obices et claustra refringet,
129 atque Italis aditum patefactam rumpet in urbem.
130 Utque fidem dictis habeat, tu sponsor, et obses
131 missus abi et primus valuis invade revulsis
132 ingressum atque aciem tectis bipatientibus infer."
133 Haec ille. Et juvenis parendi accensus amore
134 carpit iter, notosque inter elapsus amicos,
135 detulit Ausonio regi mandata parentis.
136 Isque ubi primores secreta in parte coactos
137 admonuit, petiitque simul, sententia menti
138 quae foret et dubiis audax fiducia rebus,
139 non eadem sensere omnes : pars maxima namque
140 nil temere audendum censet : ne forte paratas
141 lapsus in insidias poenas exercitus acres
142 sanguine persolvat : pars esse audacter eundum,
143 quo fors laeta vocat, nec opem poscentibus ullam
144 Christicolum precibus (pietas quae vera) negandam.
145 Haec inter nox Eois caput extulit undis
146 discedente die, caelumque invecta retexit :
147 atque animis illi incassum discordibus horas
148 ducebant, Italum ductor cum Daunius heros.
149 "Non hanc litem, inquit, non haec consulta, morasque
150 res patitur ; ducam ipse meos discrimen in ipsum ;
151 vos, quibus est suspecta fides in tecta vocantis,
152 pandentisque ultro portas, permittite quaeso
153 solus ut objiciam leto caput et mihi tantum
154 imponam periturus onus, subeamque periculum."
155 At pius Eustachides, postquam tibi vivida virtus
156 exagitat pectus stimulis haud mollibus, inquit,
157 "Vade, age, et oblatam decoris ne desere laudem.
158 Nos hic, interea nequid secus accidat, ac res
159 postulat, armati, signisque impensius omnes
160 advigilare suis ductorum ad jussa paratos

161 cogemus, precibusque Deum, votisque rogantes
162 successum rebus, tibi quem promittis et ipsi
163 speramus, qui facta tuae immortalia dextrae
164 novimus atque animi robus suspeximus alti."
165 Haec pius Eustachides et castra per omnia certos
166 dimittit, taciti cogant ut in arma maniplos
167 et ducibus jubeant cunctos astare paratos.
168 Ast Italum, quos jamdudum Trinacrius heros,
169 invicti monitu Boemundi, accinxerat armis,
170 in latebris occulta manus prope moenia sese
171 abdiderat, muris scalasque paraverat aequas.
172 Ac nondum instructis ad coepta ingentia Gallis
173 Christicolum primos Benserra ad limina portae
174 duxerat, aggressus vigilum dare corpora leto
175 atque ipso aeratos a cardine vellere postes.
176 Verum illi obnixa sese defendere et omni,
177 qua poterant, ratione locum, portamque tuentes,
178 Turcarum auxilia ingenti clamore vocabant ;
179 amissuri urbem jam jam, poenasque daturi,
180 ni properent, murisque hostem depellere tendant.
181 Tum vero Ausonios inter fortissimus omnes
182 dux Robertiades, laudi non aequus avitae,
183 ingreditur primus, sequiturque Oenotria pubes
184 omnis et excelsas in moenibus occupat arces,
185 excubiis passim caesis ; tum laeta secundo
186 successu, auxilium victrix pugnantibus affert.
187 Nec minus interea gentis decus acre Sicanae
188 Tancredus, piceos valuis arentibus ignes
189 injicit et dura scindit tremefacta securi
190 limina, ferratosque obices : labat ariete crebro
191 janua et hinc atque hinc aditum dat aperta patentem.
192 Immissae irrumpunt acies : fit vi via ferro :
193 caeduntur vigiles ; fuso loca sanguine fervent.
194 Hassanum interea regem saevissimus implet
195 nuntius ; ingressos portis bipatientibus urbem
196 Ausonios, Gallosque omnes, fortesque Britannos,
197 nec vitae cujusquam ullam superesse salutem.
198 Fervere caede domos : glomerari incendia tectis :
199 quosque trucidari decreverat ipse, patentem
200 insedissem vias omnes ultricibus armis
201 ac, nisi praecipitem celeri fuga in avia sese
202 conjiciat, venturum hostem, qui sanguine poenas
203 expetat et regnum Turcarum vertat ab imo.
204 Ille irae impatiens : "Potius ruat arduus aether
205 in caput hoc, quam degeneri dent terga timori,
206 et captae superem excidio perterritus urbis."
207 Dixit et ore fremens, armisque indutus aenis
208 deserit ingentes aedes, seque obvius infert
209 Ausoniis, acri vastantibus omnia ferro.
210 Et primum Evalci gladium in praecordia condit.
211 Evalci, mollis regio quem culta Tarenti
212 eduxit, veteri natum de gente Laconum,
213 praefecitque suis Boemundum in bella secutis.
214 Felix, qui patriae luxum, qui commoda vitae
215 otia jucundae leto mutarit honesto,
216 intuleritque animum moriens fulgentibus astris.

217 Cujus ob interitum poenas ut fumeret acres
218 Harpalion, animo praestans, sed viribus impar,
219 inter Hydruntinos claris genitoribus ortus,
220 accurrit, clypeumque hastam percussit acuta :
221 incassum : ternis tectus namque orbibus aeris
222 protinus ad sese venientem reppulit ictum.
223 At rabie fera corda tumens Hassanus in hostem
224 irruit extemplo subiens, saevamque bipennem
225 sustulit, inque altam media inter tempora frontem
226 libravit, partesque caput disjecit in ambas.
227 Non aliter, quam frondosa lignator in Ida
228 disjicit impacta quercumve, ornumve securi :
229 concidit Harpalion, cumque Harpalione Georgus
230 et Caecus, Braetonque una, Dinonque, Phaonque
231 et dejecit humi dextra armipotente peremptos,
232 Sphaerumque et Mochum, Phaetumque et Paxamon acrem,
233 qui primi portis urbem intravere revulsis.
234 Jamque catervatim strages impune cruentas
235 ediderat, letoque Italos prostrarat acerbo
236 et versos ad portam omnes ex urbe fugasset,
237 ni Robertiades, Normannae gloria gentis,
238 objiciens sese fugientibus, arma, manusque
239 cogeret in Turcas, regemque immane furentem
240 vertere, quaque globus sese densissimus infert.
241 "Hac vos poscit, ait, virtus, hac vi via vobis
242 invenienda viri : posita est victoria vestris
243 in manibus ; subeat vos esse e sanguine natos
244 illorum, victo qui quondam ex hoste triumphos
245 duxere et patriam positis auxere trophaeis.
246 An muros, turresque urbis superavimus altas,
247 ferratosque obices, portasque refregimus, ut nos
248 victores victi deserta in castra repellant ?"
249 Dixit et antefereus gressum, rotat arduus ensem
250 fulmineum, mediosque jacet se primus in hostes,
251 disjectosque urget, caput huic detruncat et illi
252 transadigit costas et funera miscet ubique.
253 Utque Leo Mauris quem forte in saltibus Afer
254 deprensus venator agit, si saeva Molossum
255 urget turba canum, primos aggressus aduncis
256 unguibus, exercet conceptas fervidus iras,
257 mox juvenum praeceps densum petit agmen et illinc
258 caede nova laetus silvarum in opaca refugit.
259 Vibranti sic ille latus ferit ense Sohemi
260 regis, Ituraeis praeerat qui solus, opemque
261 ferret ut obsessi, in regia tecta tyranni
262 Hassani se contulerat, nactusque superbum
263 conjugium Cromnae, forma atque aetate nitentis,
264 addiderat socero sese, pugnamque ciebat
265 acrior atque Italum legionibus obvius ibat,
266 ac multos prostrarat humi : sed Daunius ensis,
267 ceu fulmen caelo emissum, compescuit una
268 illius horribilesque minas, saevumque furorem.
269 Quin etiam Hassanum cumulantem funera regem
270 perculit et summa caput a cervice recidit,
271 praefixumque hastae ferri sublime per urbem
272 jussit et infestos deleri funditus hostes.

273 Jamque Aurora suo fulgore retexerat orbem
274 terrarum atque oculis caedem ostentabat apertam.
275 Strataque corporibus caesis adoperta viarum
276 horrebant : fusoque solum passim omne natabat
277 sanguine, perque domos ensesque, ignesque furebant.
278 Nuntius ad proceres subitus cum venit abusque
279 finibus Arabiae et Ginglam spectantis Edessae,
280 millia tercentum Parthorum Euphratis ad undam
281 consedissee : quibus dux Corbagus, unus et armis
282 atque animis longe cunctos acerrimus, inter
283 Arsacidam, qui vincla piis, mortemque minetur :
284 ni Syria excedant quamprimum, urbemque relinquunt,
285 et referant celeres illinc ad Thracia gressum
286 Bosphora et angusto pelagi se limite servant.
287 Ergo illi postquam Turcas cecidisse peremptos
288 videre et spoliis sese, sceptrisque potitos
289 Hassani Syriae late regnantis in oris,
290 obfirmant animos, instaurant moenia, si qua
291 parte labant ; explent opera interrupta, novisque
292 aggeribus muros et propugnacula cingunt :
293 imponuntque trabes et saxa ingentia, quae mox
294 in clypeis contactam aciem dejecta ferantur.
295 Jamque adeo Oceani vasto se gurgite Titan
296 tertius extulerat, lucemque reduxerat orbi,
297 cum valles, collesque altos exercitus ingens
298 Persarum insedit, caelumque, Erebusque repente
299 contremuit clamore virum, cantuque tubarum :
300 et Libani, Casiique jugum subsedit et amnis
301 substitit atque undis caput abdidit altus Orontes.
302 Nec mora. Continuis cinxerunt moenia castris,
303 atque omnes clausere vias, fuga ne qua piorum
304 exciperet leto quemquam et servaret inultum.
305 Ut cum venantes capreas, damasque fugaces
306 rupibus in summis, aut vallibus in depressis
307 deprehendere, plagis aditus ingentibus omnes
308 impediunt : aliquae, ne dum oppugnantur et una
309 urgentur densa juvenumque, canumque corona,
310 forte per occultas nactae liberrima fauces
311 effugia et tutos ad nota cubilia cursus,
312 incustoditis e saltibus elabantur.
313 At vulgo tremefacta novus per pectora Gallis
314 insinuat pavor et capta decedere terra
315 suadet et in patriam salsas remeare per undas :
316 "Ostendat se siqua ollis fuga libera ; quando
317 longinquo absumpti bello morboque, fameque,
318 esse pares nequeunt pauci tot millibus et se
319 Barbariae metuunt praedam fore : capta tueri
320 moenia si pergant, jactis quae pontibus hostes
321 corporibusque adeo caesorum ingentibus aequent ;
322 ariete ni percussa prius dent cuncta ruinam."
323 Haec passim inter se Gallique, Italique dolebant,
324 et procerum miseri facta inconsulta vocabant.
325 At bonus Eustachides, quem non avertere coeptis
326 frigus et in vulgum pestis grassata, famesque,
327 impavidum potuit, non usta caloribus ora
328 Maeonia, Senonumque ducis fuga turpis ad urbem

329 Threiciam et castra innumeris deserta maniplis.
330 "Quis metus aut quae tanta animis ignavia vestris
331 venit ? ait. Sunt hic iisdem subjecta periclis
332 lumina tot praeclara ducum, quorum inclyta virtus
333 aeternam vobis peperit famamque, decusque :
334 iidem etiam tanta vos obsidione solutos
335 servabunt. Etenim causam (mihi credite) numquam
336 deseret ipse suam divum pater atque hominum rex,
337 castraque Persarum vobis concedet, opesque
338 in praedam, modo vos precibus confidite nostris
339 affore et hostiles staturum caede phalanges."
340 His pius Eustachides, nec non et Daunius heros
341 hortatur socios, omnesque ope sublevat omni,
342 qua potis et somno indulgens parcoque, brevique
343 tutatur totam crebris stationibus urbem :
344 exploratque vias, turritaque moenia noctu
345 circumiens, hostisque dolos frustratur et artes.
346 Jamque adeo bis quindenos ex ordine soles
347 perstiterant, nec venturi spes ulla dabatur
348 subsidii, saevaque fame, morboque peribant :
349 ipsi se miseros extrema in morte vocantes.
350 Quod, ceu molle pecus, clauso morerentur ovili.
351 Ergo iram ut summi precibusque et thure parentis
352 placaret, gentisque piae delicta piaret
353 Addemarus, quinum jejunia casta dierum
354 indixit, culpasque suas de more fateri
355 quemque sacerdoti, pacemque exquirere, jussit,
356 Atque animos posthac insonti addicere vitae.
357 Quo facto : pedibus nudis et supplice cantu
358 lustravitque vias, arisque incendit honores.
359 Tum vero ad solium, Deus unde altissimus imos
360 aspectat tractus terrarum, hominumque labores,
361 ille, piae cui militiae data cura tuendae,
362 Caelicolum e fidis unus, lectisque ministris,
363 constitit atque humilis supplex his vocibus infit.
364 "O pater, o rerum cunctarum aeterna potestas,
365 o, qui verberibus justis delicta tuorum
366 corrigis et recto revocas a tramite lapsos ;
367 si quando afflictis te te praebere benignum
368 consuesti et justo pietatem aequare furori,
369 Gallorum miserere, pater, quos impius hostis
370 obsidet, absumitque ingens pestisque, famesque
371 pugnantes sancti pro libertate sepulchri.
372 Et placidos adverte oculos, fletusque precantum
373 respice et aggressis pro te lacrimabile bellum
374 ignovisse velis et moenia ad ipsa beatae
375 sternere iter Solymae, populoque afferre salutem
376 oppresso ac templis sceleratam expellere gentem.
377 Quae ritus exosa tuos, praeceptaque, sanctas
378 polluit infernis addicens pestibus aras.
379 Vix ea desierat fari maestissimus ales,
380 cum pater omnipotens : "Nihil est, o fide minister,
381 quo crucieris, ait, fuso mihi sanguine poenas
382 jamdudum solvit Gallorum exercitus omnis,
383 quas mala quorumdam meruerunt facta nocentum.
384 Nunc ego do veniam votis, iramque remitto,

385 eripere et reliquos leto et miserescere certum est.
386 Ergo age : cum primum densae rarescere noctis
387 incipiunt tenebrae atque artus mollissimus omnes
388 pervadit somnus, curasque e pectore demit,
389 i celer atque imas caeli decurre per auras
390 et Laae de plebe homini, quo castior alter
391 non fuit, aut nostras coluit sincerius aras,
392 dic media ingentis subter testudine templi
393 defossam tellure cava servarier hastam
394 intactam et nulla penitus rubigine putrem :
395 quae nati ferro pectus patefecit acuto,
396 cum duri ex alto penderet roboris auctu.
397 Hanc pius Addemarus saevi in certamina belli
398 deferat, inque hostes intenta cuspidem nostros
399 irruat et subita formidine terreat omnes.
400 Namque ego subsidio mittam e caelestibus aptas :
401 quae Persas, Arabasque fugent et sanguine totam
402 perfundant vallem, qua se se agit altus Orontes."
403 Sic fatus pater omnipotens, rutilantia caeli
404 sidera et insolito tremefecit Persida motu.
405 Quo terrore suos sese revocavit ad ortus
406 Tigris et Euphrates ripae conterritus haesit.
407 At Patris interpres summi, per inane profundum
408 delapsus, venis et fulminis ocior alis,
409 constitit ante humilis stratum non molle grabati,
410 fessa ubi tum Laas recreabat corpora somno.
411 Atque ait : "O civis tandem mollire severam
412 vota, precesque piaae potuere et flectere mentem
413 numinis aeterni, caeli cui sidera parent ;
414 eia age, ne timeas. Altis tibi missus ab astris
415 nuntius advenio, magnique haec jussa Tonantis
416 exsequor, ipse ea te paucis, adverte, docebo,
417 est aede in media, quam Petri e nomine dici
418 Christicolae volvere patres, tellure sub ima
419 hasta, olim Christo pectus quae fodit apertum.
420 Eruat hanc procerum chorus, Addemaroque ferendam
421 in pugnam attribuant, cum primum exire libebit
422 in circumfusos urbis prope moenia Persas."
423 Dixit et in tenues abiens evanuit auras.
424 Tum vero Laas, tantis expergitus umbris,
425 excutitur somno laetus : durumque cubile
426 linquit et in caelo lacrimantia lumina fixus,
427 pressit humum genibus : mox imo e pectore vocem
428 edidit. "O rerum solus qui flectis habenas,
429 dejicis e summa reges qui sede potentes
430 cum libet et palmam victoribus eripis, iisque
431 incutiens terrorem animos viresque resolvis
432 et bello victis dextras, ac pectora ob armas,
433 respice nos, pater omnipotens, et numine firma haec
434 visa tuo, populos si te instigante rebelles
435 ejecturi Asia, nostris excessimus oris."
436 Vix ea fatus erat, clara cum luce repente
437 vidit ab occasu totum discedere caelum,
438 ingentemque globum flammaram erumpere nubem
439 cum tonitru atque ignes Persarum infundere castris.
440 Omne quo tollens animum se proripit et cum

441 Addemaro laetus communicat omnia at ille
442 concilium cogit procerum, remque ordine pandit.
443 Obstupuere animis omnes : pars vana putare
444 somnia et accinctis tantum spem ponere in armis.
445 Pars visis adhibere fidem. Non irrita semper
446 edere divinam castis oracula mentem,
447 supplicibus postquam lacrimis et vocibus iram
448 placavere Dei et somno obrepente quierunt.
449 Ast alii fraudem inventam, quo miles in hostem
450 circumfusum urbi, cum res exposceret, ultro
451 iret et haud dubium palmae speraret honorem.
452 Non his consiliis, non hac ratione, nec arte
453 temptandum esse Deum ; nec nos exosus ad unum
454 perdat et iratus nostra haec commenta refutet.
455 Haec inter (nam sic visum populique, patrumque
456 principibus) propere Laas accitus et arae
457 admotus sacrae, jurat se vera locutum.
458 Quoque magis rata sint haec omnia. "Vos mihi sanctam
459 hanc hastam date per flammam, ignesque ferendam,
460 queis ego si nusquam laedar, si crine vel uno
461 non minuar, vos, o proceres, ne pergite verbis
462 indubitare meis : sin quid secus accidat ut me
463 offendat calor, aut paulum remoretur euntem,
464 mendacem arguite, ac templis, coetuque piorum
465 exclusum penitus, solitis defigite diris
466 et pater omnipotens caelestum a sede repellat."
467 Haec ille. At proceres oculos atque ora tenentes
468 conversa inter se, quaerendam protinus hastam
469 consensu statuere uno tellure sub ima.
470 Ergo adeunt aedem unanimes, sacrisque peractis,
471 quae pius Addemarus fieri mandaratum ad aram
472 discipulos sancta complentem de super aura,
473 heroes medii medio sub fornice templi
474 defodiunt certatim omnes sola pervia ferro
475 altius ac solidae penetrant in viscera terrae.
476 Nec mora. Sese offert oculis venerabile robur
477 felicitis hastae, longo post tempore visum.
478 Effusi quod adhuc servabat signa cruoris :
479 cuspide cum summo rerumque, hominumque parenti
480 pectoris insontis latebras reclusit acuta.
481 Tum vero exortus clamor, cunctique repente
482 ad terram laeti genus inflexere, Deumque
483 laudantes et regem unum, dominumque canebant.
484 "Te patrem aeternum terrae colit orbis et uni
485 ipse tibi chorus Aligerum, quae plurima caeli est
486 militia acclamat, soli tibi sidera parent,
487 aequoraque, et summae circumfluis ambitus aethrae.
488 Tu nobis exercituum dominusque, Deusque
489 Europa egressis, Asiamque petentibus ultro
490 innumeras Turcarum acies superare dedisti,
491 munitasque urbes caesis intrare tyrannis
492 et tolerare famem et perferre incommoda belli,
493 exustosque agros, tristesque evadere saltus
494 Maeoniae et Tauri transcendere saxa nivosi.
495 Nunc autem, quae magna tua est clementia, confers
496 insperatum, insuetum, ingens, mirabile donum,

497 quo freti, circumfusos invadere bello
498 non dubitemus et Arscidum concurrere turbae."
499 Talia dum laeti memorant ; pater extulit hastam
500 Addemarus : mox rite trium peragenda dierum
501 et vulgi et procerum cunctis jejunia mensis
502 indicit, tum quemque Deo se offerre fatentem
503 cuncta sacerdoti vitae delicta nocentis,
504 voce jubet : "Quartaque omnes post denique luce
505 exire unanimes, hostemque invadere Persam :
506 et sperare Deum felicibus affore coeptis".
507 Haec pius Addemarus, primorumque inclytus ordo.
508 At vulgo interea Laae promissa reposci
509 atque unum signari oculis, vanumque vocari,
510 ni, quod pollicitus verbis, re praebeat ipsa
511 spectandum et tanto firmet sua visa periclo.
512 Ergo ille ingentem stipulis arenibus ignem,
513 et strue lignorum summas tendente sub auras
514 imperat accendi ; totoque e corpore vestem
515 abjicit ac dextra porrectam corripit hastam
516 et caelum aspectans breviter sic ore precatur.
517 "Summe pater, cunctorum hominum qui pectora solus
518 scrutarisque, aperisque neque est te fallere cuiquam :
519 ipse ego si vere tua sum praecepta secutus
520 et monitus mihi nocte datos, si fraxinus haec est
521 ipsa, tuum pectus quae cuspidem fodit acuta,
522 elicuitque levem tepido cum sanguine rorem,
523 da deinde auxilium, meque haec tua sancta ferentem
524 dona manu incolumem per tanta incendia defer."
525 Dixit et ardentem saltu se jecit in ignem.
526 Abscessere procul flammae (mirabile dictu)
527 hinc atque hinc ; multa ille premit vestigia pruna,
528 perque aestum incedit medium, neque laeditur usquam
529 et tandem egressus gelida se sistit in aura
530 incolumem, meritasque hominum divumque parenti
531 sospes agit grates ; tum vero exercitus omnis
532 accurrens, passis illum complectitur ulnis :
533 laetitiaque exsultat ovans, remorantur euntem,
534 et plausum ingeminant, vocesque ad sidera jactant
535 agmina et educi quamprimum e moenibus optant
536 in Persam, vires spes omnibus addit et auget
537 insolitum membris robur : clamatur ubique :
538 "Vult Deus hoc fieri bellum : jubet arma moveri
539 haec Deus : ad Solymos hinc jam victoria pandit
540 parta viam et sanctam nobis adjudicat urbem,
541 Bethlemiasque domos et, quae vestigia primis
542 ipse pedum quondam plantis impressit Iesus."
543 Has inter voces, interque optata dies se
544 tertius Oceani liquidis demersit in undis.
545 Et pius Eustachides curari corpora jussit :
546 venturaeque alacres accingi ad proelia lucis.
547 Quae simulatque oriens Tauri juga celsa retexit,
548 armatas acies portis bipatientibus ipsi
549 effudere duces, Persisque e ponte fugatis,
550 instructis pariter legionibus incedebant.
551 Addemarus quarum in medio pater arduus hastam
552 defossam tellure cava portabat et omnes

553 ad decus et laudem dictis acuebat amicis.
554 "Ite viri, hic demum coepti victoria nostri
555 vertitur, hic quaerenda salus virtute, Deoque
556 fidendum, a nobis quem stare haec lancea certos
557 vos facit ; ite alacres jam nunc, Persasque fugaces,
558 ignavosque Arabes ultrici invadite dextra."
559 His ille atque aliis verbis hortatur euntes
560 in pugnam et stimulos animis audacibus addit.
561 Nec minus Eustachides Leucos, Morinosque trucesque
562 Germanos, Celtasque suos acerrimus Ugon,
563 Daunius Ausonios : bello Robertus uterque
564 inclytus Armoricas gentes hic ille Britannos,
565 atque Caledonios ad caedem incedere pergunt
566 Turcarum, praeda in praesens, spoliisque relictis.
567 Nuntius interea, sacri custodia belli
568 tradita cui fuerat, caelesti ex ordine lectus,
569 affatur regem aeternum, terraeque, polique.
570 "Magne pater, cujus nutu pater urbis et orbis
571 totius, Hesperias belli ad pia munia gentes
572 impulit Urbanus, quo barbara claustra refringant
573 Turcarum, Solymaeque tuae juga tristia demant,
574 ecce ille ad pugnam videt ut gradiuntur iniquam ?
575 Non opibus, numerove pares, non viribus aequis,
576 quas pestis, quas dira lues, quas improba rerum
577 absumpsitque fames, corpusque exhausit, ut esse
578 non jam homines, sed cassa hominum simulacra ferantur.
579 Ac, nisi subveniat pietas tua, protinus hosti
580 succumbent, ceu molle pecus raptoribus olim
581 praeda oblata lupis : neque enim concurrere pauci
582 innumeris possunt, ut non victoria cedat
583 hostibus et pugnae quaesitum addicat honorem."
584 Talibus orabat custos, praesesque piorum
585 aliger et supplex veniam implorabat, opemque.
586 "Cum rerum dominus, caelique aeterna potestas,
587 vade age fide vigil, nec te cura ulla moretur ;
588 vitales etenim splendenti ex aethere rores
589 depluere in nostros jamdudum jussimus, inquit,
590 quo firmare animos, acresque resumere vires,
591 et durum pugnae valeant tolerare laborem
592 atque aestum ingentem medii perferre diei,
593 arentes agros rapidus dum Sirius urit.
594 Cetera si numero, pugnaque prementur iniqua
595 ipse adero et Persas trepido terrore replebo."
596 Sic ait et nutu terram, caelumque profundum
597 concussit, Gallosque oculis respexit amicis.
598 Quos super ut primum roris pluit uvidus imber,
599 illicet amissae rediere in corpora vires :
600 aucti animi, pugnaeque ardor geminatus et ipsi,
601 ipsi, inquam, (quis credat) equi, quibus ipsa tegebat
602 jam vix ossa cutis, laetis hinnitibus auras
603 rumpebant, ultroque hostes in bella ciebant.
604 At parte ex alia colles insederat altos
605 ductor Achaemenidum, vallisque refugerat imae
606 planitiem, in primis pugnae loca commoda equestri.
607 Demens : qui pediti saltus elegerit aptos,
608 difficilesque vias, aditusque in castra malignos,

609 quo defessam aciem Gallorum aestuque, viaque,
610 insessum montem dum forte adversa subiret,
611 exciperet, fusamque loco aggredere iniquo.
612 Gallorum sed enim salebrosa per ardua collis
613 incedens acies, primis sese intulit audax
614 Persarum agminibus, tum vero ad sidera clamor
615 exortus, vallemque omnem, montesque propinquos
616 implevit, fugere ferae : tremuere reposti
617 monstra maris, seseque imis mersere sub undis.
618 Extemplo jaculis caelum, levibusque sagittis
619 complectur, ceu cum Libycis e partibus Auster
620 obscuram excivit nubem, solemque repente
621 abstulit ex oculis, tenebrisque involvit obortis.
622 Pronus ibi ante omnes cecidit Tigrane creatus
623 ductor Achaemenidum, Itali cui velitis hasta
624 perfodit pectus, factoque e vulnere in auras
625 erumpentem animam Stygias demisit ad undas.
626 Nec procul hinc Pacorum vibrantem immane verutum
627 fudit humi, vitamque aufert rorarius audax
628 glande gravi, mediae dirimens spatia ardua frontis :
629 labitur infelix sparso super arma cerebro.
630 Inque locum illius properans successit Orodes :
631 isque manu atque acri fugientes voce repressit.
632 Ergo, iis in pugnam rursus se ferre coactis,
633 conservare manus acies ; nec jam datur ullum
634 eminus injectis hostem cohibere sagittis :
635 sed gladiis potius saevire in pectora adactis
636 obvia et obstantes infringere comminus hostes.
637 Hinc atque hinc igitur medio in certamine pugnae
638 exanimes labuntur humi Turcaequae, Pique.
639 Non aliter quam cum geminos discordia reges
640 cogit agrum tectis in apertum exire relictis,
641 stipatos studiis sectantum atque agmine gentis
642 quemque suae : fit pugna atrox et ab aethere summo
643 corpora caesarum complent labentia terram.
644 Jamque adeo Persas castris effuderat omnes
645 Corbagus et numero Gallis, Italosque premebat,
646 defessos caede ingenti, quam vivida bello
647 ediderat cujusque manus, nullius ut acres
648 praeterea possent usquam subsistere vires.
649 Namque ut quisque imo plures demiserat Orco,
650 quos daret inde neci plures superesse videbat.
651 Nec procerum virtus potis instaurare piorum
652 circumventam aciem, nec jam retinere labantem ;
653 cum Patris aeterni jussu delapsus Olympo
654 caelituum insedit colles exercitus ingens
655 armatorum equitum, vestis quibus alba tegebat
656 ingentes humeros, pectusque : at tempora et ipsum
657 cassis aena caput ; cui crux imposta superne
658 stabat et ardentes spargebat in aera flammis :
659 quadrupedumque acer fremitus, sonitusque tubarum
660 undique clangentum, mugire per ardua circum
661 visus Achaemenidis ; quo tum terrore repente
662 contremuere animis omnes, celerique salutem
663 quaesivere fuga, projectis turpiter armis.
664 At pius Addemarus, cui tanta ex omnibus uni

665 Gallosque, Ausoniosque inter, fortesque Britannos,
666 cernere monstra dedit summi regnator Olympi,
667 extollens sublimem hastam : "Jam vicimus, inquit,
668 vicimus, o socii. Deus est, Deus ; hostibus hunc qui
669 terrorem incussit, viresque infregit et arcus,
670 falcatasque harpes, hastasque excussit acutas
671 e manibus. Vos ite animis audacibus aucti.
672 Ite viri, properate viri, victoria vestra est ;
673 vestrae et opes : modo vos sumpto ne parcite ferro :
674 dum castris exutus Arabs, dum Persa fugaci
675 fidit equo et vobis campo jam cedit aperto."
676 His pius Addemarus Gallorum in pectora dictis
677 spem revocat, reficitque acres ad proelia vires.
678 Non aliter quam cum silvas agitantibus Euris
679 augentur subitis excita incendia flammis :
680 frondiferos quae per montes invecta vagantur,
681 nec silvis nisi consumptis exstincta residunt.
682 Ergo omnis pubes, quam quondam Oenotria, quamque
683 Gallia progenuit, generoso accensa pudore,
684 constitit ; inque Arabes, ipsosque acerrima Persas
685 invadens, multo tepefecit sanguine terram.
686 Non secus ac totidem florenti aetate leones
687 in cervos, orygesque et confusae, (.....)
688 praecipites et confusae dant stragis acervos,
689 parcentes nulli, cujus praevertere cursum
690 possint et saevo vestigia sistere morsu.
691 Sic Itali, Gallique, securigerique Britanni,
692 audaci assultu Persarum in terga ruebant,
693 dedentes impune neci turbamque, ducesque.
694 Jamque adeo quantum colles, vallisque reductae
695 planities, quaqua versum seclusa patebat,
696 fusa peremptorum complebant corpora ; quorum
697 haud facile ingentes quisquam numeravit acervos.
698 Et caput Hesperii abiens Sol merserat undis.
699 Direptisque opibus castrorum hostilibus omnes
700 signa reportarunt laetam victricia in urbem :
701 crastina sed postquam terris Aurora reluxit,
702 omnibus Addemarus templis indixit honores.
703 Perque dies ter quinque Deo de more piorum
704 jussit agi grates ad pulvinaria et aras,
705 lustrarique urbem, precibusque et supplice cantu
706 ipsum hominum, divumque patrem, natumque parenti
707 aequaevum aeterno, cum virgine matre, piosque
708 caelituum coetus omnes in vota vocari.
709 Rite quibus summa cum religione peractis
710 coeperunt placidae sensim indulgere quieti
711 et rapidum relevare aestum frigentibus undis :
712 tum plenas dapibus mensas onerare, diemque
713 frangere certatim luxu, vinoque morantem
714 et voti immemores vitam traducere inertem.
715 Illic et cantus, illic et tibia dulces
716 edere docta modos, dulces resonabat amores ;
717 perque vias omnes florenti aetate puellae
718 plaudebant pedibus choreas, motusque ciebant
719 lascivos ; virtutis amor, laudisque cupido
720 cesserat ex animis, qua quondam ardere solebant.

721 Quae pater omnipotens caeli e regione suprema
722 aspiciens, oculos Syriis avertit ab oris ;
723 continuoque Erebi pestes, ac monstra profundi
724 libera fuderunt sese per inane, gravesque
725 excivere aestus, funestisque imbribus agros
726 infecere omnes, ingentesque aeris oras
727 undique mortiferis afflarunt flatibus Austri.
728 Defecere amnes, vivisque exaruit unda
729 fontibus et nebulas exhalavere nocentes
730 affusique lacus urbi, vallesque palustres.
731 Hinc miseranda lues populos aggressa Latinos,
732 aut morbo, aut tristi dedebat corpora leto :
733 inque dies magis atque magis saevibat in omnes
734 letifer Autumnus, perque urbem et compita passim
735 spectabantur humi confusae stragis acervi.
736 Quin et primorum generoso ex ordine multi
737 occubuere duces indigna morte perempti.
738 Occubuit pater Addemarus : dum visit egenos
739 et quacumque potest miseros ope sublevat aegros.
740 Dignus cui pietas vitae produceret annos
741 in longum et meritos benefacta ingentia honores
742 aetherea in terris deferrent lucefruenti.
743 Visum aliter paribus mundum qui temperat horis.
744 Nec tua te virtus, generis nec splendor aviti,
745 Henrice Ascensis, leto subtraxit iniquo.
746 Ipse etiam Arnoldus, quo se Germania mater
747 jactabat, caeloque parem se laeta ferebant,
748 occidit et pugnas animo reminiscitur acres,
749 conquestus quod non hostili occumbere dextra
750 contigerit, mixtoque una cum sanguine vitam
751 fuderit, instantis solamen nobile mortis.
752 Haec igitur pius Eustachides dum funera secum
753 percurrit, periisse videt magnamque bonamque
754 bellantum partem : quorum virtute, manuque
755 fretus Achaemenium pugnando fregerat hostem.
756 Et dubitat, ne saeva lues absumere pergat
757 Gallorumque acies, Italosque, acresque Britannos,
758 ni quamprimum omnes funesta excedere ab urbe
759 inque agros sese jubeat conferre salubres.
760 Haec agitanti animo fessos sopor occupat artus.
761 Et jam nox medium cursu trajecerat orbem.
762 Visa dehinc caelo descendere mater et ore
763 affari ac nota solari voce dolentem.
764 "Nate, ego ad egregios quem me peperisse labores
765 glorior et claros ductorum ex hoste triumphos
766 laetor ovans, tu te dignam modo suspice curam
767 et coeptis incumbere piis ; non has tibi clades
768 vallis Orontea solito corruptior aer
769 attulit, Autumnusve gravis, vel turbidus Auster,
770 sed populi delicta tui, cujus quoque si nunc
771 reliquias cupis incolumes servare, necesse est
772 inceptum contendere iter Jordanis ad amnem
773 quamprimum atque ista cunctos avellere ab urbe,
774 quos superesse aliis Deus omni ex ordine solos
775 annuit et placidus morbo tutatus ab atro est."
776 Sic ait et sedes repetit festina supernas

777 Ida parens, flentemque oculis et multa volentem
778 dicere deseruit, radiis afflata diei.
779 Talibus Eustachidae monitis expergita virtus
780 illicit e stratis duos exsuscitat artus :
781 conciliumque jubet cogi procerumque, ducumque.
782 Quos, ubi convenere, rogat sententia quae sit
783 cujusque et dubiae tandem quod quisque saluti
784 afferat auxilium, quo diram avertere pestem
785 possint et tristi sese subducere leto.
786 Hic proceres una clamant non esse morandum
787 praeterea et certae subeunda pericula mortis :
788 verum alias oras quamprimum urbesque petendas,
789 languida ubi recreent caelo sua membra salubri.
790 Tum pius Eustachides. "Num nos huc venimus, inquit,
791 o fratrum generosa cohors, ut corpora tantum
792 curemus laeti et riguis sedeamus in hortis,
793 delicias inter faciles atque otia vitae ?
794 Obliti quid quisque Deo promiserit et quid
795 expetat a nobis nostrorum antiqua parentum
796 gloria ? Quae nusquam duos exosa labores
797 rebus in adversis caelo caput extulit altum.
798 Hanc ne nos resides forte obscuremus, eundum
799 censeo quamprimum, quo res vocat ipsa, Deusque
800 tendendumque iter ad Solymos et amoena feracis :
801 arva Palaestinae, fontesque, aurasque tepentes
802 Carmeli et suaves celebris Jordanis ad undas :
803 quo nullus fluit in terris felicior amnis.
804 Hic nos fixuri sedes, hic nostra Tonanti
805 vota soluturi patriis discessimus oris.
806 Huc igitur jam nunc recta properemus ovantes,
807 si libet hoc caelum caelo mutare salubri."
808 Talibus Eustachidae dictis accensus eundi est
809 omnibus idem ardor ducibus ; jussique per urbem
810 vadere praecones, abitumque indicere turbae,
811 tertius Eois cum sol emersit ab undis
812 atque hac ut primum terris illuxit apertis,
813 corripuere viam laeti, qua litora monstrant
814 proxima, felicesque Aradi praedivitis agri,
815 perque imos Casii scopulos, perque invia saxa,
816 convallesque altas Libani, Sidonia, Tyrumque
817 venire et Tamyrae tranato fluminis alveo,
818 post saevas strages, post dura incommoda belli,
819 oppidaque et captas summis in montibus arces,
820 ingressi fines Galilaeae, orasque propinquae
821 Samariae, sanctam videre in collibus urbem
822 surgentem et celebrem per saecula cuncta Sionem.
823 Tum vero genibus flexis et vertice nudo
824 procumbunt omnes, Solymamque uno ore salutant.
825 "Ingentes et agunt grates tibi maxime caeli,
826 terrarumque opifex, cujus sub numine certo
827 incolumes tandem fortunatique laborum,
828 Judaeam intrarint, oculisque ea cernere detur
829 moenia, quae sanctum servant complexa sepulchrum."
830 Hic actis iter accelerant, murisque propinquant,
831 agmine composito, positos quos ordine castris
832 circumdant, celsasque parant attollere moles.

833 Interea Pharius regno depulsus avito
834 Bocchoris, accitis propere firmaverat omnem
835 praesidiis urbem, defensorumque corona
836 cinxerat hinc atque hinc et sepserat undique muros :
837 et circumfusos late vastaverat agros,
838 nequid vitales usquam superesset ad usus,
839 miscueratque herbas puteis, succosque nocentes,
840 ac fontes terrae injecto celarat amictu.
841 Quin etiam erumpens aversae a limine portae
842 et densas equitum turmas educere et ultro est
843 ausus adire pios et castra lacescere ferro.
844 Quod Siculum ductor Phariis impune licere
845 indignatus et assultus succedere laetos.
846 "O flos Ausonidum juvenes, ait, ite volentes,
847 ite viri mecum, laetique invadite Turcas
848 moenibus agressos, portisque patentibus urbis
849 irruite in muros, quamprimum ut turribus hostem
850 dejiciamus humi, turba qui fretus equestri
851 audaces inferre manus temerarius audet."
852 Sic ait et raptio spirans immane veruto
853 tendit in adversos gressum ; primumque Pheronem
854 ducentem turmas, Gallosque in aperta vocantem
855 proelia, per clypeique orbis, thoracaeque durum
856 comminus, hostili media in praecordia adacto,
857 fundit humi ; cadit ille ruens, terramque cruento
858 ore petens, pedibus teneras diverberat auras.
859 Huic comitem Arabiis regnantem in finibus addit
860 Abbaron, Andronemque, Agamantaque, Carrhentemque
861 omnes divitiis, omnes et sanguine claros.
862 Tum Cindum, Lampumque ferit, Larumque, Tachumque,
863 dat leto Ogdoum, nec non, quem regia Memphis
864 eduxit, natum claris genitoribus, Apim.
865 Sed neque quam multos vita spoliaverit heros
866 Trinacrius, vel semineces devolverit, inque
867 terga ferox raptas fugientum ingesserit hastas,
868 enumerem, non si pleni jam fluminis instar
869 verba mihi, numerique fluant et pectus anhelum
870 effundat totidem voces, quot rauca comantes
871 murmura dant Silvae Zephiro spirante ; quot undae
872 Ionii scopulis quoties et litora plangunt.
873 Concessere retro Pharii, mistisque Latinis
874 praecipites repetunt urbem, portamque reclusam
875 occupat Oremedon, Italosque hortatur, agitque
876 ad decus aeternum, tantaeque ad praemia laudis.
877 Illi adsunt : primoque acres in limine caedem
878 caede nova accumulans ac ni se opponeret ollis
879 Bocchoris et juvenum pubes stipata, ducumque,
880 illo capta die Solyma et direpta fuisse.
881 Reppulit ipse omnes atque irrumpentibus unus
882 obstitit et calamum longe jaculatus ab arcu
883 transfixit pectus ducis Oromedontis et acri
884 funera miscentem dextra, Phariosque fugantem
885 stravit humi ; ceu forte Aquilam, dum saeva dracones
886 irruit in Lybicos, calamo venator iniquo
887 Maurus ab excelsa dejectam rupe peremit.
888 Sensit maesta cohors casum ductoris acerbum,

889 continuitque gradum, portaque exclusa patienti
890 rettulit in castra exanimum et sine nomine corpus.
891 At procerum delecta manus ductore perempto
892 Cenomanum et Phariis portae intra limina clausis,
893 ne quisquam posthac in apertum erumpere tentet
894 aggeribus circumvallant ingentibus urbem,
895 arietibusque parant altos evertere muros.
896 Quos contra Pharius ductor firmarat, ut omnes
897 undique respuerent ictus, tutique manerent,
898 saxa intentarum venientia balistarum.
899 Ipse autem Armoricum ductor Robertus et una
900 filius Icem proles (tam) generosa parentis,
901 ambo aetate pares, animisque et nomine eodem,
902 hortati inter se scalis ascendere muros
903 conantur, primique suos inducere in urbem,
904 praeripere et reliquis tam pulchrae praemia laudis.
905 Sed neque Lexobii, neque nati ad bella Caletes
906 appositis scalis ad propugnacula possunt
907 turribus in summis victricia signa locare :
908 nec rursus Pharii subeuntes moenia Belgas
909 dejicere et celsi depellere ab aggere muri,
910 quem primum tenuere. Velut de finibus olim
911 cum lis orta duos inter, propellit uterque
912 utrumque, extremi ut spatium sibi vindicet agri,
913 exiguum spatium et communem limitis oram
914 non aliter Turcas dirimit lorica, piosque
915 pugnantes, magnaque locum virtute tuentes.
916 Jamque adeo fractis clypeis, galeisque revulsis
917 certatim inter se multa vi vulnera miscent,
918 exanimesque utrimque cadunt ; victoria neutris
919 annuit ; huc etenim atque illuc incerta vacillat ;
920 dum pinnae et turres et propugnacula fuso
921 undique caesorum sparguntur sanguine : ceu cum
922 decidit abruptis e nubibus horridus imber,
923 atque agros, urbisque vias effusus inundat.
924 Moenibus interea molem sublimibus aequam,
925 quam Ligur Ebriacus mira fabricaverat arte,
926 tergoribusve boum praecinxerat undique : vivum
927 quo sulphur, piceosque globos contemneret ignis,
928 admovit dux Goffredus. Stetit illa, trabesque
929 comminus injecta muro junxere minantem,
930 et solidi sese straverunt pontis in usum.
931 Tum vero breviter fidos hortatus amicos :
932 "Hunc, ait, hunc mecum jam nunc conscendite pontem,
933 o socii, tandem venit haec optantibus hora,
934 extremum finem nostro impositura labori.
935 Este viri, memoresque Dei et virtutis avitae."
936 Dixit et insiliens murum per tela, per ignes,
937 namque ignes et tela simul, lapidesque pluebant
938 grandinis in morem, seu densi turbinis instar,
939 occupat et Pharios primus deturbat ab alto.
940 Hic Memphrem, hic Thonim, Vesoremque, acremque Sesostrim
941 obtruncat, primorum aciem ; quibus ense peremptis
942 desilit e muro victor, turbamque fugacem
943 comminus aggressus dat fortia corpora leto.
944 Atque hos propellit clypeo, pede proterit illos ;

945 interea heroes, tanto dum moenia luctu
946 miscentur, qua quisque a parte obsederat urbem,
947 irrumpunt, omnesque domos et strata viarum
948 corporibus caesorum implent : fluit, ater ut amnis,
949 qua se cumque ferunt, tepidus cruor, atque ubi ventum
950 ingens ad templum secreta in parte repostum,
951 undique munitum portis et turribus altis,
952 ingeminant stragem. Pharius nam Bocchoris huc se
953 contulerat, longeque pios arcere parabat.
954 Tancredus sed enim, Siculum comitantibus armis,
955 irruit atque imo postes a cardine vellens
956 aeratos, aditum Gallis patefecit : at olli
957 ingressi multo Turcarum sanguine foedant,
958 quas ante horrendis foedarant ritibus aras
959 Abdaridae immanis gentes documenta secutae.
960 Ipsum etiam audaci miscentem funera dextra
961 ad Phlegethontes demisit Bocchorin undas :
962 tum vero amisso Pharii duce, protinus omnes
963 diffugiunt, captaque pii dominantur in urbe.
964 Atque hic exhausti stet meta extrema laboris.
965 Quem, si per totum tua divulgetur ut Orbem
966 gloria et ad laudem Reges impellat eandem
967 unanimes, justisque pios pius induat armis,
968 susceptum potui noctes vigilare, diesque :
969 da, Pater omnipotens, passim volitare per ora
970 Christicolum et sanctis afflantem pectora flammis
971 proferre incolumem ventura in saecula vitam :
972 injicere et populis ardorem in bella ruendi,
973 perdendique tuos diris cum ritibus hostes.